
NAZIONALE
12
16 C
23
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE

5

A



GREGORIVS
ROSCIVS
SILGIENSIS SABINVS

DE

Poſtrema Peſtilentia

VRBIS ROMÆ.



ROMÆ,
Excudebat Vitalis Maſcardus
M D C L X V.

SVPERIORVM PERMISSV.

ALEXANDRO VII.

PONT. OPT. MAX.

GREGORIVS ROSCIVS

Silcienſis Sabinus

S. P. D.



VNQVAM magis iuſtis iudicijs approbatum eſt, BEATISSIME PATER, non eſſe Deo curæ vltionem noſtram, eſſe ſecuritatem, quàm cùm Summus Ponti-

ſex creatus fuiſti omnium Mortalium conſenſu, ac temporibus turbulentiſſimis, quando vitijs teterrimis ſeculum corruptum eſt, religio valdè concuſſa, Chriſtianus Orbis longo bello afflictus, Gentes tribuendo deſeſsæ, agrorum infœcunditates, trucia, ac peſtilentia ſydera: Res, quarum vel imago ſola tædium, & horrorem moueat, atq; animum

mum occurrendi aui-
dum à propoſito de-
terrere valeat: Tibi ve-
rò inclytæ, ac ſempi-
ternæ gloriæ futura,
materies ſunt, & mi-
nùs quàm cœteris la-
borioſa: Innata enim,
morum ſinceritate e-
mines, pietate ſingu-
lari, iudicio incompa-
rabili, ſumma manſue-
tudine, dexteritate, ar-
tibus, virili eloquentia
præuales: Ac Dei vi-
ces gerens, Principum-

que omnium primus grandia, ac gloriosa voluis molimina; non odio, non studio ductus, sed sancta mente agis, argutus, cùm deliberas, stabilis quando constituis: bonas artes amas, bonarum artium amatores foues. Dignitates, honores, beneficia merentibus vltrò confers, antequam petant. Diuitijs, fauoribus, maiorum gestis, claritudi-
ne-

neque tumentes, niſi boni ſint, repellis, non dignaris. Sic optimorum virorum ſeminarium pones, ex quo Roma Principes integerrimos ſemper accipiat. Sic vitia peſſum ibunt, reſurgent virtutes, quæ ſqualore obſitæ diù iacuere neglectæ. Neq; aliter futurum fore documento ſatis eſse poſsunt tres anni calamitoſiſſimi, quibus res huma-

nas, ac diuinas summa prudentia, iustitia, clementia, ac patriæ charitate direxisti. Vix dum prima Pontificatus spatia emensus, locustarum innumerabilium exercitibus attritis sata omnia deuorantibus, terrarum victa sterilitate, hyberni maris fluctibus spretis, frumento vndiq; comparato, Romam, & vniuersam ditionem tuam voracibus inopiæ fauci-

cibus eripuisti. Bellum gerentibus Christianis Principibus aduersus eos, quibus Christi, seu Pontificum Romanorum nomen inuisum est, validis auxilijs affuisti. Mox grauissima pestilentia circumuentus, Vrbem, & imperium tuum vniuersum immensis sumptibus, miris industrijs, ac laboribus seruauisti, quando Vrbes nonnullæ frequentissimæ,

pluribus centenis millibus ciuium ereptis, lugubrem vaſtitatem nunc horrent, cùm vaſta primùm ſuperbirent multitudine. Ac proinde non immeritò, ſi hæ, & aliæ gentes, quotquot in orbe terrarum ſunt, tam felicem ſortem noſtram, ac tantum Principem nobis inuidebunt Patrem Patriæ amantiſſimum, liberatorem, ac cuſtodem

vi-

vigilantissimum , qui vel solo fulgore sacrosancti gladij tui ancipitis pacem, & securitatem nostram imperturbabilem præstitisti, cùm omnes ferè nationes feralium bellorum sæuitiem experirentur, & amicorum, & hostilium exercituum iniurias, vulnera, direptiones, domorum incendia, agrorum vastationes, patriæ euersionem. Qui-

que tanta ſedulitate Superorum cultum reſtituis, veterum templorum decorem reponis, & adijcis nouum. Iamque porticus quadruplici columnarum ordine ex Tiburtino lapide ad Vaticanam Baſilicam erigis, quas non auderent Cœſares: & intra Templum Cathedram Petro figis, nullis priſcarum molium ſecundam ſignorum æneorum


rum magnitudine; ac ſplendore columnarum: Atque Ædem Sapientiæ bibliotheca publica, animoq; tuo digna inſtruis. Vetuſtas Vrbis deformitates excindis, platearum ſpatia prolatas, vias impeditas expedis, inæquales exæquas, dirigis obliquas; Vt gloriari meritò poſſis, inuiam pene etiam die à te inuentam Vrbem, tutam, ac facilem etiam

in tenebris relinqui. Sed hæc exiles ſcintillæ ſunt magnanimitatis tuæ, & adhuc inchoantis imperij geſta. Quæ antea præſtitiſti, quæque in poſterum longiſſima vita tua pollicetur egregia, alibi ſcribere paratus ſum. Interim, obſecro, ne dedigneris hunc exiguum libellum, quem ante pedes tuos ſtratus depono, ac religioſus dedico non ſine ve-
re-

recundia, & horroris quodam ſenſu, quem intus mouent ſacroſanćta Maieſtas tua, ac vilitas munuſculi mei ex tenui charta fœdè exarata, horrida lugubri materia, & vndequaque mala, ni ſummam bonitatem tuam contineret, tuumque numen, vt ita dicam, fronte gereret deſignatum cunćtis pariter facile, propitium, atque ſalutare.

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. M. Sac. Pal. Apost.

O. Archiep. Patracen. Vicesg.




IN postrema hac Romana Pestis tragœdia describenda nouus hic Roscius sic benè gestum egit, sic scitè dixit, vt Tullianam eloquentiam & Hippocraticam doctrinam, æquauerit. Cum igitur in his monumentis, quæ Politicæ, ac Medicinæ studiosis, posterisq; omnibus iucundissima, ac saluberrima concinnauit, nihil à Catholica fide dissonum, & à bonis moribus deuium offenderim, præli luce ea dignissima censeo. Datum Romæ Idibus Septembris an, 1664.

Ego Antonius Placentius.



Imprimatur
Fr. Hyacinthus, Libellus S. Pal. Apost. Mag.

GRE-



GREGORIVS ROSCIVS

SILCIENSIS SABINVS

De Postrema Pestilentia

VRBIS ROMAE.





ISTORIAM aggredior ægritudinis, qua non aliud malorum generi mortalium calamitosius est. Bellorum enim damna non vltra durant, quàm positis armis,

mis, imperata facere lubeat. Neque ex annonæ charitate multæ mortes contingunt, Terra in escam præbente herbas, radices, fructus, si segetum sterilis fuerit. Nec frumenti penuria laborant, qui diuitijs affluunt, ac Principibus curantibus, etiam pauperes participant. At pestilentia æquè ferox in omnes est, tum conspicuos, & diuites, tum inopes, atque vulgares; bonis, malis, senibus, impuberibus, viris, mulieribus pariter immitis. Vteros etiam perrumpit, atque homines priusquam natos insectatur, & premit (adeo implacabilem cum humana natura agit inimicitiam) dirimit societates, conuel-

lit

lit necessitudines, amicitias exoluit. Vix parentibus, liberis, vix coniugibus stabilis in calamitate amor, hinc coniunctorum eiulatu, ac sanguinis vi mouente miserationem, inde periculo, ac propria charitate fugam suadente. Deo, & hominibus tam grata pietatis officia, sæuiente peste, cùm plurimùm necessaria esse videntur, reipublicæ interest pleraque interdicere. Noxiæ tunc solennes supplicationes sunt, cœtus sacri, conciones. Non patriæ, non hospitij ius liberum est, nec in proprijs ædibus fas decumbere, ac gentilibus putrescere monumentis. Et hæc adeo tristia, ac

Ro-

Romæ nuper visa, tolerataq; in conspectum referens hic libellus meus, quàm gratus sit in lucem egressurus, haud inscius sum, humili insuper stylo, nulla cura exaratus. Exeat tamen, si nostris penitus non acceptus, posteros fortasse iuuaturus, si quando (quod Deus auertat) Gens Romana iterum fluctuet. Tum, quum pestilentium grassationum scriptoribus, licet barbaris, laudes, ac pretium esse solet, ni priùs ætate consumatur, in medium & ipse productus, sic ordietur.

Agebat in summa quiete Vrbs Roma, & S. D. N. ALEXANDER VII. tertiumdecimum Summi sui

Sa-

Sacerdotij menſem egregia cum laude emenſus, ad Lacum Albanum diuerterat; quum turbatus triſti nuncio Neapolitanæ peſtilentiæ, Romam feſtinanter repetijt, ac ſtatim ſeueriſſimo edicto imperauit, vti omnes, qui ex Neapoli nuper Romam appuliſſent, quam ociſſimè ad D. Pancratium ſeiuncti, non ante quadrageſimam diem progrederentur in publicum; atque merces, quæ allatæ forent, igne abſumerentur, ſi viles, ſin precioſæ, depurarentur. Et acribus cuſtodijs ſeptis vijs, quæ terra, marique ab agro Neapolitano in agrum Romanum ducunt; nihil inde quiſquam in poſterum adduceret, aut reci-

pe-



peret. Literarum tantùm transuectio maneret. Constitutique limites sunt, non nostris, non Neapolitanis tabellarijs traijciendi. Ibi primùm literæ aceto infusæ, & ignis fumo arefactæ, adductæ ad Vrbem, iterum purgabantur. Prouincijs res protinus significatur. Nostris, ac Regnicolis capitale commercium dicitur. Omnium Vrbium, Castrorum, ac Romæ præsertim portæ, portusque militum stationibus firmata assiduæ ciuium custodiæ commissa fuere; præceptumque, vti eos solos paterentur introire, qui publicam fidem ostenderent tum sanitatis, tum rerum, quas secum aducherent, aut naui-

uibus, aut iumentis. Clauſa ſtatim externa, & itineraria hoſpitia ſunt, non tam edicto, quàm viatorum ob raritatem exili, aut nullo lucro. Quæque iuſſu Principis manſere neceſſariæ tabernæ, aliæ ab Vrbe abeuntibus, aliæ aduenientibus ex locis ſalubribus; vt ſublata penitus ſuſpicione, commeatuum vectores alacriores accederent. Interdictum agreſtibus vllos hoſpitio iuuare, alere, fouere, quamuis neceſſarios, & cognitos, ſi diù longè diuerſati ſine legitimo teſtimonio reuerterentur. Legitima autem erant, quæ ſigillo publico ſignata, & à ſcriba rei deputato non ante diem

quin-

quintam ſcripta eſſent, claréq; oſtenderent commeantium nomen, cognomentum, ætatem ſtaturam, corporis notas, patriam, iter, manſiones, ſi quando contingerent. Falſa: verò effingere, vendere, ignotis, ac peregrinis diſtribuere, mutuas accipere, aut tradere læſæ maieſtatis crimini aſcriberetur.

Vrbs vſque in tempus illud trepida Neapolitanorum ſtrage, vt allatum eſt Centumcellas, Neptunum, & in ſuam regionem Tranſtyberinam irrepſiſſe labem, mirum in modum concuſſa eſt: Murmur vbique, ac ſolus de peſte ſermo, mæror, initium fugæ, hæſitatio: plu-

res

res meditantes ſeceſsum, alimentorum copiam parare, quærere medicamina: Ex metu fides etiam nebulonibus adhibetur, quæſtus ex medicatis globulis, pulvillis, & alijs inanibus. Sacris imaginibus, ſanctorumque precibus fores omnes muniuntur, etiam corpora; vultus ſuſpicaces; triſtibus ſomnijs noctes inquietæ, parentum ad ſuperos vota, teſtamenta (tam certum, ac ſubitum exitium omnes ferè conceperant) ijs tantùm lætis, qui calamitatibus preſſi, aut obærati, miſeriarum finem ab interitu, vel opes, turbatis rebus, ſibi promiſerant.

Tunc Princeps non cun-

ctandum amplius ratus, præfecit salubritati publicæ curandæ Franciscum Barberinum, Iulium Sacchettum, Federicum Sfortiam, Fridericum de Hassia, Laurentium Imperialem, Petrum Ottobonũ, Camillum Astallium, Decium Azzolinum Cardinales amplissimos, ac Mariũ Chisium germanum fratrem. Addidit insuper Riualdum, Cerrium, Carafam, Celzium ex Prælatorum numero, vt quisque sedulò curaret in parte Vrbis sibi commissa, & ad Patres deferret, si quid momenti ibi contingeret; eorum audirent decreta, mandata exequerentur. Ac totidem alij delecti ex eodem ordine, quot Vr-
bis

bis regiones ſunt; Patritiorumque duplicatus numerus; & his curæ eſset ciuium capita cenſere, regionem ſuam quamſæpiſſime luſtrare, egentes familias agnoſcere, ægros inquirere. Scripti & quatuordecim medici ſunt, atque chirurgorum par numerus, qui à Prælatis iuſſi & ad ægros vocati, non renuerent, ſuſciperent curationem, ſi morbus eſset benignus, ſin peſtilens, omitterent, ſtatim indicarent notarijs, ijs ſcilicet, quibus in ſingulis regionibus onus impoſitum fuerat deferentium inditia ſcribendi, & ad primos Prælatos veſpere ſaltem renunciandi. Cæterum, ne, increbreſcente morbo, cu-

rarum multitudine Prælati, ac Patritij lassarentur, & inde confusio oriretur, numeris signatę sunt domuum fores, in vicos distinctæ regiones; dataque cura popularibus viris, vt singuli per vias sibi designatas incedentes, ægrorum, clausorumque disquirerẽt necessitates, Prælatis aperirent, ægrotos, & extinctos indicarent, medicos, & confessarios accersirent. Neque Prouinciarum cura neglecta: Eò vnde maius discrimen timebatur, statim cum satellitio expediti sunt Prælati, vti rei valetudinariæ præessent, terrerent, pœnis transgressores afficerent. Iussique oppidorum omnium medici, chirur-

rurgi, omnes homines, ſi quid ſuſpecti dignoſcerent, locorum Prætoribus ſignificarent, Prætores prouinciarum Præſidibus, hi Romam properis nuncijs deferrent ad Patres; & interim ſaltem intra fines ſiſterent ſuſpectos oppidanos; rem circùm latè vulgarent, vt contermini, diſpoſitis armatis, ex tempore ſibi proſpicerent, & extra limites palantes, non ſecus quàm infeſtos hoſtes ictibus peterent.

His rebus quamuis ritè prouiſis, menſe tamen Iunio ſenſim lues repebat, vt Patres, indicto conuentu, quid factu opus foret deliberaturi, iam quærerent ſententias; cùm Barberinus his

verbis orsus est: Exuant tandem omnes dubitationum scrupulos, qui vsque in hanc diem Vrbis nostræ pestilentiam negauere. Cum nostris vndiq; conueniunt ea malorum initia, quæ rem Neapolitanam primùm turbauere, & nunc penè ad exitium perdunt, febrium maligna celeritas, inguinum inflationes, carbunculorum sæuities, & ea omnia, quæ nunciantur funesta. Res maxima agitur, Populi Romani salus, Reipublicæ summa, lubricis non credenda argumentis. Suspecta medicorum fides est hoc plurimùm, quia litigant. Contagium non credunt horum præcipui, plebeij nimiùm credūt.

Iam

Iam satis dissimulatum malum vulgandum demum esse reor, vt ciues, vt Prouinciæ metuant, caueant, sibiq; maturè consulant. Si Vrbis incolæ euadant, exterique non accedant, minus damnum, maius beneficium: Minuitur multitudo, hebescit pestis impetus, otio suo deperit, superfluit annona; tutoque vectoribus accessu, regressuque præstito, ac pretijs paulùm extensis, ne ad delicias quidem, & commoda, nedum ad necessitates quidquam erit desiderandum.

Assensere plerique; at nondum apertis signis sæuiente morbo, cæteri negarent ne, an affirmarent incerti erant:

Romæ quippe,& prouinciarum exitium intelligebant, si diræ ægritudinis celarentur initia: At falso excito rumore, super rei turpitudinem, ac publicum odium, subiectis, exterisque ingentem incuti terrorem, adimi commercium, pauere negotiatores, rem suam contrahere, decrescere vectigalia, parcere pecuniæ ciues, & industria viuentibus exilem, aut nullũ quæstum fieri; penuriam, ac latam egestatem sequi: & ni Princeps publica pecunia iuuerit, lamenta, consternationem, latrocinia: Et si iuuerit, his, & tot alijs vix suffecturum ærarium.

Marius plenum periculis negotium agi, & eò deuen-

tum esse differebat, vt aliquod detrimentum, vel cladem atrocem accipere rempublicam necesse esset. Vtrũque vitari non posse: nam vel falsum esse contagium, quod publicam quietem confunderet: & in vulgum emissa fama, veram pestem esse, ingentes motus erunt, sed inanes: res vrbanorum iacturam patietur, sed tolerabilem: commercium intercidet, sed citò rediturum, deprehensa falsitate: reditus publici minuentur, sumptus augescent, sed non vltra modum. Vel prorsus vera contagione tactã Vrbem Transtyberinam esse, & non admonere statim omnes, non obuiam ire, scelus est, parri-

cidium eſt. Laudabilius profectò conſilium, ad nuncium immanis periculi turbare tranquillitatem, auxilium quærere, impenſas quamuis ſuperuacaneas facere, quàm inconcuſſo otio rem ſorti permittere, ac diſcrimen feliciter euadere.

Actum deinde etiam de loco eſt, quo ægri tutiùs acciperentur. Omnium conſenſu ea Vrbis pars electa, quæ, fluuio Tyberi bipartito, in inſulam aſſurgit, & non infrequens eſt ædificijs. Hæc, incolis amotis, partim famulis, miniſtris, medicis, & confeſſarijs parata, partim in Xenodochium inſtructa ſupellectilibus, ijſque ipſis ordinibus, quibus celebrio-

ra in Vrbe valetudinaria. Duo ibi pontium sese inuicem respicientium aditus geminis cancellis interclusi fuerunt, non tantùm ad detentas personas coercendas, sed & ad cauendum: Addita insuper armatorum militum manus, ianitoresque sunt. Nec procul & scriba assidebat ægrorum nomina descripturus, patriam, diem, quo ingrederentur, quo perirent, quo emitterentur. Hinc clam abeuntes, nusquam tuti, neque in sacris ædibus, sclopulis transuerberabantur. Funeratoribus solis exitus patebat, & ijs, qui ægros ab Vrbe adducebant: at hi, cùm vijs ibant, ceratis sagulis induti, ac satellite

præuio, si interdiù, si verò noctu, prælucente face, strepentibus tintinnabulis. Non arduum ab initio huius loci moderamen fuit, paucis ægrotantibus, mox autem auctis, & morbo vel inualidis, vel consumptis plerisque ministrorum, confusus propemodum ordo est: iamque cœteri formidine pleni, nec multa pecunia oblata, succedere audebant: destitutumque foret seruitium, ni ex damnatis iussum fuisset supplementum. Regiminis autem onus traditū Hieronymo Castaldo ex Prelatorum ordine.

Interim sparso, nescio, an vero rumare, solis optimatibus, si in pestem inciderent

rent, in ædibus ſuis fas eſſe decumbere, cœteris noſocomium deſtinatum, ciuium fremitus, mœror, audaces, & querulæ voces efferebantur. Fuere qui foribus obfirmatis, vim oppoſuere, obſtiteruntque etiam morbo infirmi: at peſte attriti, ira, metuque commoti, vi capti in itinere plures expirabant. Molliùs inde cum miſeris actum, permiſſumque domi ſuæ manere, quibus ſatis facultatum eſſet, ædeſque ſpatioſæ: hac autem lege, ne cuiquam illius familiæ in publicum prodire liceret, aut rem vllam deferre ante quadrageſimam diem ab euicta peſte. Quin, ſi alij eandem intra domum morbo interim

rim inficerentur, par dicto tempori spatium terendum erat, foribus semper clausis, obsignatisque; ac insuper schedula affixa, in qua literis ingentibus SANITAS scriptum erat, vti ciuibus palam esset, pulsam inde sanitatem esse.

Medicis interdictus ab Vrbe discessus, atque onus indicandi infectos iussum est. Metu autem inditij ab horũ opera ægri abstinentes edictum frustrauissent, nisi etiam propinquis, famulis, parochis, ægris ipsis, & quibusuis alijs denunciatio imperata esset, ac terror adauctus suppliciorum pœna, bonorumq; omnium publicatione irrogata. Quadraginta quin-

quinque aureorum mercede in singulos mẽses illecti sunt, ac seorsum habitare iussi, qui, mederentur pestilentiæ solummodo, non alijs ægritudinibus; atque incedentes per Vrbem, albam, & ligneam cruciculam gestarent, vti declinarentur. Horum autem pluribus vi pestis peremptis, cœteri aspernabantur non tàm periculosum, quàm inuisum, & vile ministerium. Prouisum igitur est, vti omnes medici, nomine dicto, & indicata domo, sorti subijcerentur, pœna constituta, renuentibus gratuito, & perpetuo Xenodochiorum seruitio. Institutique etiam confessarij, qui consuetis sacris Vrbis infectos iuuarent.

Ve-

Vetita autem in Ecclesijs, & Cœmiterijs inquinatorum cadauerum sepultura. Prata ad D. Paulum humandis extinctis visa sunt opportuniora. Quisquiliarum, vestium, stragulorum, & vetustarum rerum omnium emptio, atque venditio inhibentur. Hominum cœtus, confluxus, ludi, nundinæ, ac lustralis aquæ vsus omittuntur. Clausæ publicæ scholæ sunt, foraque, curiæ. Et pars infera Transtyberinæ regionis, vbi malum primùm cœperat, & tunc inualescebat, derepente structo muro, & addita militum cohorte, à reliquis dirimitur, ne inde in omnem ciuitatem lues exundaret. Iamq; carru-

rucæ, quibus ad nosocomia gestabantur ægroti, cerata tela instructę vias atterebant, onerariaque super carpenta, nudàta extinctorum corpora vili stragulo operta nulla pompa ad Insulam vehebantur. Non procul hinc Tyberinum littus paratos semper habebat lyntres, quibus secundo flumine cadauerum altè congestorum horrendum, ac lacrymabile funus ad præscripta prata ducebatur. In altas ibi scrobes corpora demissà, calce, terraque superiniecta, multa cura condebantur, ne tetri inde vapores exurgentes aerem, & transeuntes polluerent. Fuisse nonnullos accipio, qui longo deliquio attoniti, & immo-

mobiles, nulla ministrorum incuria, vti exanimes cadaueribus immisti, dum humarentur experrecti sint, reductiq; conualuerint, & adhuc viuant.

Hinc mœstitia, ac querelæ ciuium: Incertis adhuc ægritudinis initijs, Reipublicæ ordines, patrios mores, leges, & inditam hominibus societatem frustra subuerti. Rariores, quàm cœteris tempestatibus, nec nouos esse morbos, qui nunc tantopere formidantur. Longè quandoque sæuiores, exhaustis familijs, vrbibus, ac prouincijs mirum in modum vastatis, sponte, nulla Principis industria cessisse. Turcis, Germanis, cœterisque contem-

temptoribus pestis non atrociorem cladem contingere, quàm nostris tantopere cauentibus. Damnum illis ex sola morbi sæuitie, nobis & ex morbo,& ex sublato commercio, impensarumque auctione. Si pestis diuinum flagellum est, irritos omnes hominũ conatus, vtiles tantùm supplicationes esse, scelerumq; execrationem; nec vsquam cuiquam sedem fore tutam, si à syderibus spargatur. Hæc eadem, quæ in exurgentem pestem parantur à nobis molimina, Italiæ Vrbes clariores, imperante Vrbano VIII. ac nuper nullo fructu Neapolim obiecisse. In vsum egentium, & ægrorum satiùs conuerti ingentem

tem illam pecuniam, quam Princeps tot ministris,ac medicis numerat. Et quod auxilium, clamabant, nobis ab his aderit, qui nec propinquos, nec liberos, neç se ipsi eximere valent?Scimus quid Neapoli profecerint medici: Fugerunt ipsi primi: Vel, si qui exposuere sese, aut coactè; & hi stomachantes, seu formidine inualidi,& attoniti detrimento potiùs, quàm auxilio fuere adnitenti naturæ: aut auiditate, & magna mercede ducti;& hi omnium nequissimi, non nisi ad aurum respexerunt. Fallimur, si magis promptos, atque pios nobis nostros medicos speramus. Qui nos leuiter ægrotantes humanitatis spe-

cie

cie quater, ac quinquies in dies singulos, etiam noctu reuisebant, nullis nunc precibus aderunt pestis metu perculsi. Qui verò publico ære conducti quæstum periculo proprio præferunt, omnium vilissimi dolebunt, ni pestis processerit, atque vel minimam maculam elato supercilio pestem funestissimã declamitabunt. Hæc in medicos pestis asseueratores ferox vulgus effundebat.

Contra sapientiores, atque meticulosi moerebant, serò ex Neapoli nunciatum esse malum, postquam Romam inuaserat: cùmque iam irruperit, & paucos tetigerit, leuioribus machinis excipi. His quidem nec extingui la-
bem,

bem, nec satis detineri. Sensim, ac clam fusis seminibus, mox in nostram perniciem derepente erupturam. Priusquam longiùs, latiùsque discurrat, penitus, ac breui opprimi posse, si quadraginta, vel paulò pluribus diebus intra priuatas ædes vniuersa ciuitas detineretur. Occultam interim, & insensibilem luem in medium egressurã: deinde extinctis, vel victoribus, qui correpti sunt, non alio obuio alimento, veluti ignem, amoto pabulo, & ipsam denique desituram: Sed si diutiùs serpere licuerit, irritum hoc quoque auxiliũ futurum, ac fortè etiam perniciosum. Pleræque enim tunc familiarum, vel infectæ,
vel

vel pestilentiæ semina fouentes, quò magis astrictæ, eò difficiliùs ictus euitabunt. Sic aucta ægrorum multitudine, & mortes insimul plures erunt, metus, fuga, opem ferentium inopia, segnities; Ægri non satis adiuti neque medicaminibus, neque alimentis, sordibus suis inuoluti, & ab extinctis non secreti in aere exitiabili iacebunt. Hinc acrior pestis rabies, strages. Et si regentium, optimatiumque mortes contigerint, detrectabunt alij in propriam, quàm alienam salutem intentiores: Res sine regimine, vel penes temerarios, rapaces, improuidos. Omnium demum confusio, insepulta cadauera,

ra, fœtor intolerabilis, penuria, fames, pestis, Vrbis excidium.

Audiebantur insuper, qui furore concitati Neapolis Proregem incusarent, & in vltionem perpetratæ annis superioribus defectionis, infectos milites ex Sardinia scienter accitos prædicarent. Sed hi plebis vilissimi, & ignari semel admissam pesté sontes, & innoxios, principes, plebeiosque simul conficere; rempublicam in multos annos atterere, ac solis externis hostibus ex voto, & vtiliter desæuire.

Inter medicos autem, & chirurgos vrbanos longè acriùs certabatur: plures enim & spectabiliores, nondum in

Vrbe

Vrbe pestilentiam irrepsisse asseuerabant, argumentum capientes ex monumentis veterum medicorum, quibus morbus pestilentiæ perniciosissimus vulgarium creditur, plerosque incolarum aggrediens cuiusuis fortunæ, plurimos interficiens. Atqui Romæ nihil tale, nihil vltra consuetudinem accidisse. Proximè lapsis annis extinctas Romæ in foro Agonali nonnullas familias: concussam superioribus annis Perusiam ea febrium feritate, qua militum castra sæpe vastari accipimus, ne minima prorsus suspicione pestis. Et nunc, quando à Maio mense, ad Iulium vsque pauciores periere, quàm salubribus

ijsdem mensibus, ijque sparsim, vel vltima paupertate miserabiles, & fortasse nunquam in publicum profecti, vel si exiere, procul ab ægrorum ædibus, pestem tantopere pauescimus? Quisnam ex nostris animo adeo firmatus ausus est cominus recognoscere carbunculos, inguinum, & axillarum tuberculos pestis certissima inditia? Quot in fugam versi medici sunt pulicum morsibus, næuis, furunculis, venereis bubonibus perterriti? At veri bubones extiterint, veri & carbunculi, qui dudum patuere, & retro manus medicas egerunt: Num ideo pestilentes? Salubribus etiam annis suetum hoc ægri-

gritudinis genus eſt, ac non rarò febres malignas comitatur, peſtiferas ferè ſemper, ſed immani magis vultu.

Alij adhuc incipere peſtilentiam diſſerebant, ideò modicam eſſe, & minùs rabidam, quàm quæ à ſcriptoribus memorantur. Nihil & oriri, & adultum protinus eſſe. Etiam Neapoli, & Neptuni raras ægritudines viſas ſub initia, atque inter pauperes prima funera, qualià modò inter noſtros inchoant. Febres, quæ Romam, Perufiamque perculere, citra carbunculos, ac bubones exarſiſſe. At nunc meritò medicos, & prudentes omnes pauere peſtem, nec inanes eſſe curas Prin-

 cipis,

cipis, comitantibus iam febres carbunculis, & bubonibus, & quidquid truculentum vidit ab initio, sed non nouit Neapolis. Salubrium temporum carbunculos, ac bubones neque frequentes, neque exitiosos esse; vel si perdunt, non tam citò. Nullum penitus inter febres verè pestiferas, & pestem interesse discrimen. Et ægrè suaderi pestem absque febre pestifera, aut in ijs solis, qui ferocia veneni illicò opprimuntur; nec febres pestilentes sine pestilentia fuisse vnquam inuentas. Vtrique ægritudini eandem esse feritatem, careunculos, bubones socios. Ab vtraque populorum cla-

des ingentes: Neutram sine aeris summa prauitate.

In Augustum interea vergebat mensis Iulius, & in dies singulos inualescebat lues, cùm prouincijs perculsis tristi fama permissum Romanos excludere, atque indigenas quoque, si ex Vrbe fugerent, ijs solis exemptis, qui Romam inueherent annonam. Ne autem hos detineret metus, illis immineret periculum, extra portas locus constitutus, ac circumseptus cancellis est, quibus à nostris dirimerentur exteri, si terra iter esset; vel si Tyberi adnauigarent, ne excenderent. Nec redeuntes excludebantur à suis, si fidem à nostris refer-

inſanis motibus agatur, modo citatioribus, & validis, modo languidis, & intercisis; ſtomachus amarulentum, & ſubuiridem euomat ſuccum, atque vel nihil concupiſcat, vel aquam ſolam; inguina protuberent, & puſtulæ modò vnam, modò alteram partem adurant; maculis interpungatur cutis; omnia corporis membra langueant, & peſtem patiantur.

Hanc ſolam peſtilentiarum cauſam in ſuis monumentis reliquiſſe conſtat Hippocratem: De contagione ne verbum prorſus ipſe, & ſublimioris ordinis medici habuere. Falluntur, qui peſtem inguinariam,

qualis nostris temporibus ingruit in gentes, priscis inuisam causantur. Carbunculorum in Cranone meminit Hippocrates, & omnes febres ex bubone malas, preter diarias, admonet. Neque Galenum hæc ipsa præteriere, quæ veluti appendices morbos pestilentiæ aduertimus, papulæ, bubones, carbunculi, virium infirmitas: Ipse primus promulgauit. Procul à fide abest tanti momenti malum mentes illas solertissimas elusisse; quod vulgus tam apertum profitetur. Illam etiam ætatem credidisse contagionem vel ex hoc Virgilij carmine satis liquet.

Dira

hac ætate nostrâ fama meliore splendent, sententiæ vetustatem reuerentur. Non enim tot hominibus communes ægritudines, tam similes, atque exitiosas faciliùs sibi suadebit vllus prudentum, quàm à sanguine tot ægrorum vna, & non modica labe marcido. Neque sanguis plurimorum tantopere videtur posse corrumpi aut prauo victus genere, aut laboribus, aut otio, aut similibus rebus, cùm non omnes intemperantes, & in similia propensi sint. Non ex annonæ caritate solis pauperibus molesta: Non tetro putrescentium rerum odore vix extra stadium spatiante, ventis licet validis

impulso: Non frugum, & aquarum prauitate, quæ non vbique similes, aut bonitate, aut malitia sunt. Aer solus, qui semper vnumquemque afflat, cunctisque momentis adit præcordia, & venas, solidam, hilaremque vitam inuehit, si sincerus omnibus suis partibus sit. Contrà verò, si putribus inquinamentis turbidus sit, spiritum arteriarum, cui plurimùm iungitur, & pars præcipua creditur, fædis sordibus grauat, obtundit, corrumpit, vt sanguis etiam putreat, æstuet, & cerebrum aut torpeat, aut rixetur: Oculi vel demissi mœreant, vel nimiùm rideant, aut irascantur: Cor furens in-

preſſi cenſerentur, & Patres tali progreſſu exciti, ac Neptunenſium, Neapolitanorumque ſtrage lachrimabili obuerſante magis ſolliciti vim extremam paraturi ſciſcitarentur, num finis peſtilentiæ futurus foret, ſi omnium Vrbanorum familiæ ſecernerentur? At diu diſcordes ſententijs, & ambigui, quibus tutiùs crederetur, an ijs, qui aeris vitio, an ijs, qui contagio procedere peſtem putant. Vrbis medicos præcipuos in conſilium vocant, & iuſſis ſententias promere, & ſententijs adijcere rationes, multa ſenecta, æquè ac experientia grauiorem ſic ſatum eſſe accipimus.

ſpiritibus, & aere putri, & ſyderum infauſtis radijs afflari quidem poſſe, ſed non antea, quàm contagij virus acceſſerit, peſtem inguinariam exurgere: inſcij ad labem ſanguinem paratum, & peſtifero ſtellarum lumine calefcentem, iam peſtis initijs inhærere.

Non maioris auctoritatis ſunt argumenta, quæ contagium prodidere, & deſumuntur ex frequentia funerum, ex ægritudinum cognatione, & ex diſcriminibus eorum, qui cum inquinatis agunt; quando à reliquis ſecreti ſoſpites omnes ſunt. Sic pecudum greges, quos nunquam miſcuere paſtores, neque vnus ager

pauit,

pauit, contagio absumi dici possent, cum nonnullis tempestatibus passim sternuntur campis. Ac variolarum morbus, cùm simul vrbes multas peruagatur, per contactum sparsus credi posset à pueris, qui nunquam patriæ limites exiere. In Xenodochijs, & inquinatis cubiculis non mirum etiam integros trahi in labem. Hæc quoque loca communi aeris vitio patent, ac insuper accipiunt insalubritatem ex odore tetro, atque vaporibus, qui iugiter die, noctuque ab ægris corporibus fluunt. Ne salubribus quidem temporibus firma salus diu durat firmissimo cuiquam nosocomiorum

piternitatem enim mereri non videntur, quæ aliquando non ſunt. Nullius rei magis. quàm peſtis exploratæ viciſſitudines ſunt. Quandoquidem ſeculis ſilere ſolitus noxioſiſſimus morbus, vix exili ſui fama reliqua, veluti nouus exurgens omniũ mentes perſtringit horrore, neminem ſui aduentus non admonet. Et tamen ſi ſolo contactu inualeſcat, nullius rei magis incertum, principium, aut finis eſt: Nam cùm vnus, duo, plures ſimul, ijque primi corripiuntur; vel aliorum ex contactu, & non amplius primi; vel aliam quamlibet ob cauſam, & hæc vna, quæ citra contactum paucos po-

tuit

tuit afficere, omnes poterit: At nullum omninò pestilentiæ statutum initium sit, non ideo difficultates omnes cadunt. Dicendum prorsus est quo fiat, vt aliquando truculentissima sese proferat in medium, aliquando sponte detonans pacem cum mortalibus amet; & in multos annos componat. Num contagionem dices? Non spurciùs respondere potes. Velis, nolis vel ad arcanam vim astrorum, vel ad Telluris effluuium, vel ad aeris malignitatem cõfugiendum est.

Nequeo sine pingui risu eorum credulitatem præterire, qui iactant venarum humores, & noxijs terræ

spi-

Dira per incautum serpant contagia vulgus.

Coeterùm sapientissimis illis medicis, vti pleraque vulgi fallacia sunt, hæc etiam opinio inanis habita. Quippe factu possibile non videtur, vno ab ægroto in mortalium vim immensam per multas, & dissitas terras contagionem posse irrumpere. Et sanè non turpe dictu, neque creditu asperum foret, si assidentes caderent solummodo: At labuntur; quibus ne vllus quidem æger visus est. Num etiam incolumes hanc fundant ægritudinem?

Si pollutum indumentum, aut æger luem in contiguos exhalare pos-

set,

rum ſeruitio, ſi diuturnam cum ægris moram continuet, non in apertum, ac puriorem aerem ſæpe prodeat, ſeſeque exercendo non repurget.

His, & auctoritate viri iam afflicta contraria factio videbatur, cùm iunior alter, at diſertus, nec ſeruilis ingenij rem ita reſtituit. Non exiguum eſt, quod genus Mortalium debet Hippocrati, medicorum niſi primo, omnium certè principi, & cuius ſummo ſtudio artes medicinæ certiores, ac magis proficuæ eam, quam fas eſt homnibus, perfectionem eſſent conſecutæ, ſi firma illius veſtigia ſectari, atque experimentis, non

mentis acie, ac fallaci methodo rem agere posteriores maluissent. Sed his præcipua gloria contendere, verba maiorum examinare, aliis composita destruere, insectari. Sic in immensum crescente voluminum congerie, ars ipsa distrahitur, inuoluitur, non promouetur, decrescit. Hippocratis est quidquid in Medicina roboris: At solus, & primus ingressus rem medicam adhuc indigestam, nec procul à cunabilis prouectam, vitæ breuitate, & artis longitudine ad omnia satis esse non potuit. Alicubi & deliquit, aliqua ne attigit quidem. Non omnia ætas eius videre potuit. Sunt quæ rarò contin-

tingunt. Pestilentia, veluti in exitium hominum exurgens non frequens, ægriùs obseruatur, Haud nostræ similis illa est quam Hippocrates memorat. Cranonis pestem, verum, vti puto, contagium, procul à patria non licuit adamussim expendere. Nostris lõgè promptius fuit contagionem aduertere, frequentioribus sacrarum Virginum recessibus perrarò tactis, cùm lues omnes mortales circùm perderet. Hinc nata suspicione, ac sublato commercio, vrbium cognita securitas, contagium est exploratum. Omnium, quotquot Romæ, quotquot Neapoli extant, monasteriorum nullum ad-

huc læsum ; nec qui propere recesserunt , nec quibus religio est perpetua solitudo, vllus in discrimen adductus. Venetias, Mediolanum, Florentiam , Bononiam nostra memoria ferox dum incesseret pestilentia, ciuiumque multa millia prosterneret , Monialium ædes nō irrupit, æquè ac aliorum lares aeris vitio patentes. Num castitas contra steterit ? Ne vnus prorsus infantium perijsset. Num alimentorum delectus , quies , abstinentia ? Monachos , & alios integerrimos hæc ipsa protexissent. Neque harum Virginum solos conuentus , sed carceres admiramur illæsos , arcem Adrianam , mendicorum con-

conclaue, mutilorum hoſpitium, quibus victus omnigenus, vilia ſtrata, humilia cubicula; non ignes, cùm ſurit Boreas, non niues, cum ſyrius ardet, ſed perpetua corporis vitia, pallor, ſanguis ſemiputris non procul à peſtis confinio. Certam contrà necem, aut ſaltem ægritudinem adijſſe auſos aſſidere inquinatis Vrbs ipſa teſtis. Tot miniſtrorum, quos vel pietas duxit, vel auaritia impulit in Xenodochia, nullus diu manſit incolumis. Et vix vnus, aut alter omnium medicorum, qui in Inſulam tracti ſunt, domum redijt intactus. At, inquis, ſub iiſdem tectis degentium familiarum non-
nul-

nullarum pluribus intactis, vnum, aut alterum ex peste perijsse nota in Vrbe res est; Et quod magis monstruosũ, mæstas matres, vxoresque infectis liberis, ac maritis ad mortem vsque affuisse, exosculatas etiam, & eidem strato accubuisse nulla noxa. Fuisse & infantulos, qui non languentium matrum contubernio tantùm vsi, sed & venenato lacte non aliter ac salutari alimento ventrem felicissimè satiauerint. Quid mirum? Non omnes æquè procliues; neque meretrices lue venerea aggrauatæ omnibus amatoribus suis æquè luctuosæ. Sunt quibus lepra, scabies, phthisis non imprimuntur

ignis in syluas immissus non omnes plantas incendit, nec dum aer putris, aut nullum astrorum non toruum est, stat cunctis exitium. Et quidni interpellas, pestis rabiem fugiant Monialium septa hac ipsa ratione, qua stirpes quidam non ardent, cum syluam percurrunt flammæ; ac ruente domo nonnulli domesticorum feliciter euadunt, cum cæteri aut mutilantur, aut frãguntur? Quia fortuitis magis, quàm certis, & nunquam variantibus causis hæc euenire videntur. At monacharum ædes, eorumque omnium, qui ante pestis initia nunquam hominum cœtui credidere sese, summa tranquillitate

agunt ſemper ab hac labe immunes, ni ſuppellectilem contaminatam admiſerint, amicos acceperint, canibus, & felibus liberum tranſitum permiſerint; vel inhumatis circùm cadaueribus, ni vapor noxius penetrauerit. Harum quauis in re peccatum fuerit, etiam in Monaſterijs, & procul ab ægrorum conſpectu ex peſte funera contingere facilè poſſunt.

Paterer fortaſſe in cauſam incolumitatis harum Virginum ſumi ſanguinis firmam diſpoſitionem, naturamque corporum validam, niſi quãplurimæ morboſiſſimam vitam viuerent. Vel ſeruari peculiari Dei beneficio concederem, ſi hoc genus philo-

ſo-

ſophiæ ſapientem medicum deceret. Vel denique immunitatem illis contingere ex aere, aquis, aut alimentis ſuſpicarer, ſi hæc alia eſſent, ac quibus cæteri ciues vtuntur. Quid igitur? Vitæ genus ſecretum à conſortio vnica eſt cauſa ſecuritatis earum. Eos autem, qui liberè, & extra ſepta viuunt, in diſcrimina peſtis trudunt mutua ſocietas, commercium, congreſſuſque; adeo vt hinc vel medicinæ rudes ſatis intelligere queant contagionem, quemadmodum prorſus compertum habent, ſcabiem, lepram, & luem venercam contactu noxiam eſſe, at ijs tantùm, qui cum fœdatis immiſceri gaudent,

qui verò auersantur, non tangi. Contagionis itaque argumenta certissima sunt similium ægritudinum multitudo, plures interitus, & eorum, qui seorsim viuunt, securitas. Et ita etiam variolæ, etiam armentorum morbus contagiosus erit, si pueri, ac pecora seiuncta benè habent. Mirum vtique contagionis vim non intelligere, qui eam apertissimè produnt, cùm excusant, nosocomiorum familiam non contactu lædi, sed inquinamentis, quæ ab ægris corporibus iugiter funduntur.

Et his forsan aliquis elatus, calidusque, asperis verbis streperet, si etiamnum quis obniteretur, & contagium

gium non assereret. Ego autem non ægrè fero, & ne minimùm succenseo ; scilicet gnarus id philosophorum genus hoc nostro sæculo vigere, vt maiorum sententijs, & auctoritate satis constare, satis quæri censeant rerum scientias. Hi cum in arduas, & abstrusas res incidunt, non ingenij vires tentant, illustrium virorũ monumenta consulunt, eorum dictis difficultates diluunt, obscuritatem elucidant, sedant curiositatem: Nunquam acriùs mentem inquietant, quàm cùm à veritate absonum, ac parum decorum magistris quid editũ inueniunt: Nam vel tanquam subdititium auersantur, vel typographo-

rum incuriâ corruptum clamitant, vel commentis longissimis, & sæpe vecordibus falsitatem lenire, ac dedecus auertere nituntur, vel denique iam desperata re, sui ingenij segnitiem, quàm eos falsos esse, confiteri malunt. Non desunt, qui propè doleant inuentam Americam, quam sine cultoribus credidere clarissimi priscorum, & ægris oculis inspiciant tubum opticum, quo in conspectum multa prodierunt, quæ antiquitas vel perperam locuta est, vel ignorauit; atque in Cœlis quid agant superi, homines ferè intuentur. At non inter philosophos tantùm tam fęda ingeniorum humilitas.

Etiam

Etiam ex agmine medicorum ſunt, qui luem veneream non nouum morbum, ſed Elephantiaſim audent aſſerere, ne quid vetuſtiſſimis illis obſcurum fuiſſe appareat (adeo priorum ingenia humanam caducitatem trãſilijſſe putant, noſtrorumque tam cœcas, humiles, & lubricas mentes arbitrantur; cùm reapſe nihil illis inuideant, vel ſeculi ſimplicitatem ſolam, regumque munificentiam, & in bonas artes acre ſtudium.) Non ergo mirum, ſi tanquam fabulam rident contagium, quod ab Hippocrate nuſquam memoratur.

Sed hi conuicti omnium Gentium aſſenſu viuant diu

genio suo. Perarduum profectò negotium excutere è senum mentibus probatas longo tempore opiniones. Non his mihi persuasum est demonstrare contagium (nedum si senserint, fortasse fatebuntur) sed ijs, qui non amore, non odio ducti solam veritatem amant. Hi haud cunctabuntur contagij propagationem affirmare, quando nouerint luem venerream per omnes orbis partes non toruis astrorum aspectibus, non terrestrium vaporum malitia, sed solo concubitu à paucis ex America esse transfusam. Quin & à sanis assentientur immitti posse, cùm acceperint nihil maculatas meretricu-

las

las solo virorum semine virulento circa vuluam hærente admissarios suos pessimè quandoque polluere. Vtrumque malum à veneno inguinibus infenso non modica cognatione cohæret: nisi quòd venereum venereo contactu repit; pestiferum & in ægro, & in aere noxium attrectantibus est. Et quemadmodum venereum Americanis, sic pestiferum humanæ reipublicæ coæuum, & nunquam desiturum est. Nullus ferè in historijs memoratur annus, quem in aliqua parte Terrarum non nobilitauerit pestilentiæ immanitas. Et ipse, ex quo mens ad rerum capacitatem creuit, plures

plurium gentium peſtes numerare paſſum, omnes, ſi rumor falsus non eſt, ex alijs locis ſimili labe affectis, varijs modis illatas. Sic, quæ nunc rem noſtram turbat, ex Neapoli accepimus; Neapolis ex Sardinia traxit; Sardinia ab Hiſpanis fædata militibus eſt, eorum ſcilicet exercituum reliquijs, quos ferrum, fames, & plurimùm peſtis in Catalonia afflixit. Exercitus autem, qui omnium penè nationum hominibus conflari ſolent, vnde luem prehenderint, incertum; niſi fortè ex Germania, vbi ſemper vrbs aliqua ſeruans ſemina peſtifera, in alias prouincias ſæpenumero fundit: Et effuſa morbum

exi-

exitiabilem ferunt, si prauum in hominibus apparatum inuenerint; sin minùs, exigua sobole edita, innocua propemodum durant, donec in tempora sibi propitia inciderint. Itaq; quemadmodum locustæ propagantur per oua, sic illa diram suam speciem producunt, donec homines.

Si truci ex aspectu syderum pestis caperet initium, vniuersum ferè Mortalium genus simul conuelleretur; & conualesceret penitus, in hilarem mox dissoluto infelici congressu: veluti omnes ferè terræ simul æstuant, Leonem adeunte Sole, & vnà etiam hyemant, in Aquarium inclinante. Nec

vltra pestis iactum constitissent tot Vrbes, & rura, quæ Neapolim, Romam, Genuamque aut interiacent, aut circumstant.

His ipsis causis euilescit eorum opinio, qui putant tum pestis originem adesse, cùm Telluris è ventre vastissimo noxius halitus exurgit, finem verò, cùm nil amplius exhalat. At ne ita quidem exoluere, & expedire sese posse videntur, si requisiti dicere cogantur, quæ horum halituum materies; quo primùm agiterur; quo postea absumatur, aut quiescat, ni etiam ipsi ad sydera refugerint, vel ad Deum, vel ad naturam Terræ, vel alia ignorantiæ argumenta. Ma-

gis

gis vtique congrueret, & irriſoribus ſuis non leues ipſi videri poſſent, ſi aſſererent terreſtria hominum corpora diſponi, ac parari quidē poſſe, terrarum nocuo fluxu ad contagionem ſuſcipiendam, non tamen antea cogi, quàm venefica vi iuncta: Ac contrà finito quauis cauſa effluuio, redire corporibus robur, inane manere venenum, peſtem deſæuire. Sic ſtipula multo ſole ad incendium diſpoſita nulla ſui parte ignis eſt, antequam facem ignitam ſenſiat; & incenſa protinus extinguitur, ſi imbre vberi imbuatur; nec amplius timet incendium, niſi denuo reſtituta ſiccitate.

Hanc

Hanc ſententiam tanquam magis tutam, atque veriſimilem pronis auribus accepere Patres, non tam dictis rationibus, quàm varijs caſibus, quos ex ſubſidijs aduerſus peſtem properatis, ſpretis, aut tardatis, ſiue proſperos, ſiue triſtes ſubijſſe nouerant plures Vrbes, populoſque. Ferrariam peſtis initijs iam petitam, imperante Vrbano VIII. Iulij Sacchetti legati ſollicitudine ſeruatam; Florentiam, ac Bononiam iam grauiùs ſaucias, exitio tamen ereptas, cunctis tandem familijs ſeiunctis, domiq; coactis. Mediolanum tunc, & hoc anno Neapolim, Neptunum, & alia vel ſub conſpectu noſtro

stro oppida, incolarum permissa communione, & post vetitam, reliquis auxilijs segniter adhibitis, aut intermissis, propemodum esse deserta: Econtrà eue damnum accepisse Reatinos, vicis cunctis protinus distinctis; Domibusque maturè inclusos Centumcellanos veluti miraculo adiutos. Nec alio auxilio Iudæorum gentem frequentiorem pestis impetum frustrari. Et sanè in irritum cessissent hominum quiuis conatus, & caderent semper, si ex syderibus, aere, vel Telluris spiritibus exoriretur pestilentia, non contactu propagaretur: imo, licet ex contactu, nullum iuuamen ex secessione cape-

retur,

retur, si serò, cùm iam plurimi, nisi altè fœdati, saltem leuiter tincti, quocunque diffugiunt, mortifera secum trahunt semina. Hinc Patrum plerique suspicari, ne cùm omnes ferè familiæ Vrbanæ contagionis labe essent attractæ, si suis ædibus quæque includerentur, citiùs coinquinarentur, ac plures domesticorum deperirent, quàm concessa societate. Et ita pecunia exhausto ærario, ciuibus Vrbe, duplex sustineretur iactura.

At ciues alta iam formidine capti, quid hæsitarent Patres, quid cunctarentur quærere finem ferocissimæ ægritudinis cunctarum familiarum diremptu? Non

id

id morborum genus esse pestilentiam, qui aut sponte cedant, vel hyemis rigoribus estinguantur. Ad extrema remedia confugiendum esse, quando modica non proficiant. Quæ profutura plurimùm credebantur, vsu deprehensa esse inania. Neque spem vllam esse finiendi adultam ferè, trucemque ægritudinem ijs præsidijs, quæ, vno, vel altero infecto, adhuc cœptantem opprimere non valuerunt. Non sanctiùs vnquam porrigi manus ad congestum pridem thesaurum, quàm hostilibus armis circumsonantibus, quàm sterilibus, ac pestilentibus annis. Et si ad vltimos casus seruatam pecu-

cu-

cuniam promere nefas videatur, ciues omnes, etiam egentes æquo animo tributuros. Non tanti, quanti vulgò reputatur, hoc esse auxilium: Plures abijsse ciues, plures obijsse; vix centena millia superesse: Et horum vltra dimidiam partem re propria ali posse quadraginta, ac pluribus diebus: Cùmque singulis capitibus, paruulis, & edacioribus simul æstimatis tres sestertij vnaquaque die sat esse censeantur, CL. millium aureorum summam non supergressurũ impendium: imo & hunc numerum veluti horrentes, si ad calculum seuerius rem reuocabunt, non minorem pecuniæ vim, &
pro-

propemodum sine fructu se consumpsisse tandem reperturos; cœptis siquidem moliminibus compescitur, impetus, non tollitur ægritudo.

Princeps contrà ad hæc immotus censebat non esse Populos ad noua tributa cogendos, veteribus satis attritos, prægressa charitate inopes, ac pestis formidine commotos. Nec frustra, ac temerè prodigendum esse, quod pecuniarum reliquum in ærario erat, dum Turcæ superarent in Insula Cretica Italiæ propugnaculo, in Polonia Sueci, & quid turbarum timeretur in Cisalpinis. Sciebat enim Vrbem Romam latis vijs conspi-

cuam,

cuam, amplis ædificijs crebriſque plateis, nec ciuibus valde frequentem, nunquam actis ſeculis grauiter ictam; nunc etiam leue damnum accepturam ex contagione, quamuis familiarum neglecta ſeceſſione, quæ verbis plurimùm commendata, parum feliciter tamen tentata erat in Tranſtyberinis vicis. Neque dubiam datura victoriam ea auxilia, quibus ab initio inſtitutis contagionis impetus tribus menſibus detentus erat, actumque, vt tam diræ tempeſtatis funera ſalubrium æſtatum vix mortes æquauerint.

Optimates tamen omnes, diuites, prudentioreſque

in

in secretum semper intenti, commeatuum copiam parabant, ac preciosiore supellectili recondita, rarò per Vrbem, procul ab hominum cœtu, procul à languentibus, pallentibusque, liberis, atque intimis famulis adempta vagandi licentia; cæteris, qui in fastum aluntur, aut exclusis, aut dimissis. Hinc auctus numerus egentium, crebra furta, etiam ex domibus obsignatis, maximo reìpublicæ damno, periculoque, ni Principis munificentia, supplicijsque obuiam itum esset.

Æstas interim in Autumnum inclinabat, & morbi incrementum adhuc segne erat. Ideo plebs Vrbana ani-

animis erectior ad primos Aquilonis strepitus, malorum sibi ficto fine, æquo animo tolerabat angustias: spem insuper faciente rumore, nescio, an callidè vulgato, citò à Principe reponendum liberum commercium. Rerum autem naturalium scientes, ac rei Medicæ peritiores nil magis, quàm Autumnum suspectum habebant; anni scilicet tempus æstiuo minùs molestum, sed temperiei inconstantia prauarum ægritudinum ferax. Et sanè noninaniter suspicatum September aperuit, cùm vlteriùs repere lues, ac plures, & nouæ familiæ rapi, vt foribus plurimis affixę schedulę nō amplius detine-
rent

rent transeuntes, veluti prioribus mensibus, quando circùm funebres, & valetudinarios currus affluens vilior turba, nec satellitibus, nec pœnarum comminationibus satis submouebatur (vsque adeo creuerat numerus morbidarum domuum, & curiositatem expleuerat alienarum calamitatum, funerumq; mutiplicatio.) Eo quippe tempore vltra triginta quotidie numerabantur peste interemptorum cadauera; pleraque in regione Transtyberina, Vrbis extremitatibus, & vbi plebs infima; rara verò ad Vrbis medium, intactis adhuc illustribus, & opulentioribus ciuibus, raptis tantùm non-
nullis

nullis magnatum famulis, vnde dominis necessitas abstinendi à consortio, nec cunctis quidem inuisa.

Non deerant tamen etiam ex medicorum ordine, qui pestem obfirmato animo auderent etiam tum inficiari; vel quia hoc est hominibus inditum vitium abnuere semper, quod horrent, vel quia non dum strages, nec viæ, foraque cadaueribus strata viderentur, vti Neapoli accidisse ferebatur. Ac viliori tantùm populo pereunte, popularem morbum appellabant ex prægressa caritate, vel frumento semicorrupto sentinarum fætore, ac cæteris iniurijs maris. Tamquam impossi-

possibilis sit sine strage pestilentia. Non aliud magis verũ simulacrum pestis est, quàm ignis : Et ignis tam ille vorax est, qui impeditus solam domum incendit, quàm qui neglectus vrbem integram breuissimè deuorat. Ita Romæ morbus, quamuis minùs funestus, haud quidquam leuior, quàm Neapolitana pestilentia. Nobis enim acria, & properata auxilia, ciues rariores; illorum autem quingenta circiter millia; viæ minùs patentes, & ædes pluribus familijs habitatæ. Atqui tales medici omnibus antea grati, manifestò mox morbo, plerisque euiluere. Edictorumque nonnulli cauilla-

tores, ac lingua procaces, vel non denunciatis ægris, in Insulam tiberinam abducti, re inspecta, aut infecti sententiam mutauere. Reliqui igitur perculsi, cùm vocarentur ad ægrotos, renuebant, vt onus denunciandi subterfugerent, pestemque simul vitarent: vel si adibant, procul sistebant, arteriarum pulsum non explorabant, fidentiorũ morte pauidi: Sed non tacto corpore, nec certa erant de morbis iudicia, falsæ etiam delationes, ingentia damna, deductis in Xenodochia, quos non oportebat, vel è domo non emotis infectis, vel serò, & instante morte, postquam domestici, amici, sup-
pel-

pellectilis, tota domus labem contraxerat. Sic ciues in ancipiti, occulti, ac sine medelis decumbere malebant, quàm trementibus medicis fidere. Alij in diuersa distracti mortis formidine, lucri cupiditate, multa tandem mercede audebant, donec bubones, & alia certa pestis inditia erumperent. Tunc, quasi primùm, non antea pestem tractauissent, illicò omittebant, denunciabant. Nonnulli, quamuis certi de peste, nonnisi propinquo obitu deferebant, ne subito indicantes, statim prohiberentur, & largum quæstum amitterent. Et hi omnium damnosissimi erant, inquinati, li-

liberè tamen vagantes: vulgataque morbi benignitate, necessarij, & amici non cauentes ab ægris, labe concepta, proprias, aliorumque familias polluebant. Quin etiam si mors non contingeret, re occultà, non suspecta, patensque domus, nõ purgata suppellectilis diu pestem alebant. Hi autem omnium infimi, seruiles, ægrorum captatores, quique in censu fraudes habent, & artem sanctissimam, quasi fœdam agunt mercaturam. Splendidiores contrà, & inter hos Paulus Zachia suis monumentis illustris, Antonius Maria Roscius doctrina Hippocratica plenus, vir probus, Gabriel Fonseca

arte.

arte, prudentiaque insignis, ac Benedictus Rita ingenij acumine potens Ordinis tunc fortè primus, & ob egregiè præstita in alterum annum honorem emeritus, incorrupti, pij cunctis accersiti aderant, non segniùs quàm ante pestem. Nec secordia marcescebant alij, quamuis domi, & procul à periculo; voce, consilio, libellis, tam viuentibus, quàm posteris vtiles. Ita Matthias Naldus, tum medicinæ studijs notus, tum onere, quod obtinet optimi Principis valetudines moderandi, leges, & regulas facillimas vulgauit, quibus vnicuique promptum esset, & noscere pestem, & præcaue-

re, & adhibere medelas. Vnde istis claritudinis augmentum, illis turpe nomen, & contemptus, etiam apud eos, de quibus siluerunt.

Paucorum igitur fraude tot Principis, Patrumque curę in irritum fluxissent, cladenque simul atrocem gens Romana subjisset, ni statim seuerissimo edicto Patres sanxissent, vti omnes ægritudines, etiam minimæ protinus, & singulis diebus denunciarentur: Non signorum vllum celaretur, non dies, qua primùm inchoauissent, neque cadauera ad sepulturam antea efferrentur, quàm de omnibus notis cognitum, relatumque esset: ac peste consumpti cense-

rentur, qui ante ſeptimam diem ægritudinis occumberent: nec niſi cognatis, famulis, parochis, medentibus fas eſſet ægros vllos adire: Domuumque mutatio, & vtenſilium tranſuectio, inſcijs Prælatis, nullis ciuium eſſet impunis.

Iamque Xenodochiorum ſpecies non adeo triſtis, ac ſub initia obuerſabatur, excità per Vrbem famà, medicorum peritià omnes ferè reſtitutos, qui ab initio ægritudinis ad noſocomium confugerant; adhortantibus etiam domeſticis, qui propinquo periculo pauidi, ſatius æſtimabant vnum, quàm vniuerſam familiam perdere. Plures itaque ad primum

inguinis dolorem , neque expectato vehiculo , sponte progrediebantur , magnis impensis non sufficientes , præcipuè medicorum mercedibus , quas ad sesquiaureum , data opera , auxerant Patres: Ac plerique iam cautiores exitio earum familiarum , quæ proprias , & inquinatas domos deserere noluerant, si suorum aliquis morbo corripiebatur , inseiuncta , & non maculata cubicula abscedebant , aut si neque satis tutos se ibi intelligebant, veniam mutandi domum deprecabantur , & accipiebant : Seu ad D. Eusebij cœnobium festinabant , pro suspectis paratam mansionem : Ibique quadra-

draginta dies sumptibus publicis alebantur. Illinc, si semper sani, domum dimittebantur; sin vel leuissimè ægrotarent, in Xenodochiū Consolationis; illis nempe ægris positum, in quibus nullæ adhuc pestis notæ proruperant; sed quia cum infectis egerant, suspicionem faciebant. Non priùs autem ingredi fas erat, quàm sedulò circumspecti essent. Si vel minimum luis inditium elucebat, in Insulam segregabantur: sin minùs in alijs cubiculis quatriduo curabantur. Nisi hoc interuallo signa pestis emergerent, penitus nudati inter puriores locum accipiebant. Adeo tamen incuria, vel imperi-

tia medicorum mox fœdatum est, vt neminem eorum, quos acciperet, siue medicos, siue seruos, siue ægrotos, nisi extinctum restitueret. Satiùs idcirco visum, omnibus inde deductis purgare locum, infectis postea destinare; Insulam verò deserere, & ipsam adeo pollutam, vt octingentos circiter, partim famulos, partim ministros diceretur absumpsisse.

Strepentibus interim, qui victa pestis sæuitie, inter infectos diutiùs morari timescebant, neque ad suos, nondum obductis cicatricibus, remitti tutò poterant, sanxere Cardinales, vt ad D. Pancratium his pararentur

sta-

ſtationes, ibique quadraginta dies reparatis viribus, ad Carceres Innocentianos procederent. Inde pluries abluti, ac puris indumentis operti, domus ſuas reuerterentur. Neque minùs queruli erant, qui ad D. Euſebium quadrageſimum diem exegerant, & adhuc morari cogebantur; domibus, & vtenſilibus non dum repurgatis temporis breuitate, parum certa ratione purgandi, ac medicis conſultis ex more alteracantibus. Quidam enim affirmabant domos, patulis diu feneſtris, ac plures dies aeri, ventiſque expoſita vtenſilia quoduis iniquinamentum amiſſura. Nec amplius moliri

Turcas, Germanosque, frequentiùs, quàm quasuis nationes, pestis vim perpeti solitas. Quin vetustioribus seculis, quando nulla erat contagionis suspicio, neque res infectæ tergebantur, sponte, nulla hominum industria cedere solitam pestilentem luem esse.

Alij verò etiam cubiculorum parietes, si ægros accepissent, decrustandos esse contendebant: nouo mox superinducto cortice, pauimento, ac laquearibus aceto gnauiter ablutis, omnia, clausis fenestris, afflarentur hydrargiri vapore vi ignis expresso. Non domesticis catulis, non felibus, non gallinis esse parcendum: mu-

res

res ipsos esse persequendos. Aranearum telas, ipsas etiam araneas esse suspectas, muscas insuper, pulicesque. Res autem infectas, æque ac suspiciosas, stragula, lectulos, vestimenta satiùs, & vtiliùs flammari, quàm depurari censebant: Nam vel leuiter ablui, & labem non tergi; vel acriùs, ac pluries, & cùm lue ea insimul perdi; seu tantopere vilescere, ac deturpari, vt æstimata neque operæ pretium æquatura essent. Turcarum, & Germanorum ablutionibus ignauissimis quis satis fidat, cùm compererit non alias gentes sæpius à peste deuastari? Indignum etiam imitamento exemplum vetustorum, quibus

bus non antea à peste quies erat, quàm omnes ferè sæuitiem ægritudinis passi, non multi superessent. Sed hi nimià seueritate riduculi, quemadmodum primi nìmiùm ignaui, aut audaces; & vtrique damnosi, isti priuatæ, illi publicæ rei.

Grauiores alij, & minùs formidolosi, nihil cremandum esse auctores erant, prę-ter quisquilias, cariosa, vetustate inutilia, atque vilissimum quodque. Aqua, & aceto eliquata' calce, & olentium herbarum fumo ædes satis emundari; lanea, bombycina, sericum lixiuio, & aquis feruidis; lignea, fictilia, lapidea, metalla, coriacea aceto calente; pi-

ctas tabellas lixiuio ; libros, & omnia chartacea sulphuris multo fumo ; esculenta coctione : Et quidem non adeo consumi, atque deformari, si curà res agatur, vt vsui inposterum esse nequeant; nec tam altè figi labem, vt elui non queat plures gentes esse exemplo, quæ pestis mala iam perpessæ vsæ tutò sunt rebus suis, non aliter, ac nos diximus, abstersis.

Qua sententia probata, duo designata fuere depuratoriorum genera; vnum, quo linea extra Portam Flaminiam tergerentur in hortis propinquis multa aqua irriguis, amplis, Soli, ventisque latè patentibus : Alterum,

rum, quo lanea ad Antonianas Thermas, ac D. Georgium. In vtroque sufficiens numerus eorum, qui res infectas abluerent, ad Solem explicarent; qui describerent, custodirent; qui currus ducerent; qui domos vacuarent, quique his preesset vir probatæ sinceritatis. Horum cuiquam à septis egredi, nisi iusso non licebat: eductique ad opus, nigros gerebant bacillos. Sanis immiscere sese, vel alias, præter infectas ædes, adire, capitale erat. Conscripti etiam sunt, qui domos purgarent inquinatas. Tantæ rei moles imposita Carolo Montecatino ex Prælatorum Collegio. Institutum autem re-

pur-

purgandi hoc ipſum, quod nunc ordior, fuit.

Ardentibus tedis præmiſſis; ac feneſtris referatis, baiuli ſuccedebant, & ille ſimul, cui præcipua cura erat, ne furta perpetrarentur: Hoc aſtante; omnia educebantur, præter lignea, lapidea, metalla, fictilia, vitrea, pictas tabellas; eaque inſuper, quę coram teſtibus, ac publico Notario clauſa, obſignataque eſſent, antequam domus pollueretur. Pecunia, gemmæ, aurea, & argentea vaſa, ſi inuenirentur, aceto paulum abluta heris nulla mora tradebantur: Sin hi, aut abeſſent, aut deceſſiſſent, publicis depoſitarijs, donec hæredes repoſcerent.

De-

Deinde, aut dominis præsentibus, aut procuratoribus, omnia distinctim in via adnotata, traditoque exemplari, quælibet in suum depuratorium portabantur. Ibi denuo numerata, ac descripta, si linea, aut gossipina, erant, in aquã feruidam priùs immutebantur, mox in aquã frigidam. Inde à puris purgatoribus in alterum lauacrum demersa, ac iterum abluta, decem dierum spatio Soli obiecta, arefactaque in puris ædibus dominis seruabantur. Eadem laneorum ablutio. Sed si anaclinteria, aut indumenta, atque ab ægris essent adhibita, dissoluta, & in ebulliente diutiùs detenta, longiori spatio aeri,
ex-

exponebantur. Nec ſerici in fila diducti, nondum autem colorati diſſimilis expurgatio. Stupa cannabacea, linea, goſſipina, ſerici globuli ſuper ferreas craticulas laxè diſtenta, multo fumo vrgebantur: Fumus autem ex thure, colophonia, reſina ſuper prunas iniectis. Et ne ad latera ſpargeretur, ſed impetu totus aſcendens ſuperpoſita promptior ſubiret, ab imo ad craticulas vſque focus obtegebatur circumextento velo. Hinc à non ſorditatis purgatoribus ſuper alias crates eædem res delatæ, eademque ratione fumo impoſitæ, decem dies tradebantur aeri. Sericas verò telas, tam ſimplices, quàm

auro,

auro, & argento intertextas idem fumus purificabat; vel, si nimiùm essent infectæ, aqua calida. Coriacea omnia, ea præsertim, quibus parietes operiri solent, libri, atq; chartacea aceto; fumo, aere luem exuere credita sunt. Sic demum vacuatas ædes purgatores domuum adeuntes, immunditie, & omnibus vilibus in vias exturbatis, & vstis, lignea quæcunque aceto, vel acri lixiuio tergebant. Deinde claussis fenestris, sulpur intus exurebant, picem, & laurea folia. Post aliquot dies alij purgatores minùs impuri subeuntes, metalla aceto affricabant; pictas telas, fictilia, lapidea lixiuio; portas ace-

aceto, & aqua diſſoluta calce, apertas feneſtras relinquebant.

Triſtia tum viliſſimarum rerum incendia pellucebant in vijs, & vndique ex ædibus graues halitus offendebant, ſordidique paſſim currus depuratorijs inſtrumentis impediti, aut rebus infectis graues, & circùm eos depuratorum globi ad officia diſcurrentium. Raptimque repugatas dormes hilares reperebant, qui conualuerant, aut quadraginta dierum ſecreto luis omnem ſuſpicionem diluerant: Donec expoliatarum domuum fæda ſpecie, rerumque humi malè iacentium, aut malè tinctarum, aut quaſſata-

rùm

rum conspectu commoti; ac insuper liberorum, parentum, seu coniugum defunctorum memoria, & horrore defixi, in ploratum, & lamenta efferebantur; mox apertis conditorijs, in iram, & conuicia quoq; non vestibus, indusijs, ornamentis, non necessarijs vtensilibus repertis, neque lectulis; nondum scilicet expurgatis, aut redditis. Et si reddita, interdum non propria, lacera, deformia, non omnia. At quod magis durum stomachum omnium mouit, tertiam partem precij rerum purgatarum sibi deposcebant purgatores; iniquissimam sanè mercedem, & inuito Principe; qui gratui-
tam

tam purgationem pollicitus, edictis denuò promisit, omnium animos molliuit, immoderatas petitiones aboleuit.

At aboleri non poterant alia magis atrocia, quæ in præsens occulta, postea apparuere, fraudes, latrocinia, extortæ hæreditates, auaritia pietatis ore eloquens, veneficia nunquam feliciora, quā tempore pestilentiæ; quæque vix credent posteri, ferociente peste, cùm circùm omnia funebria, tristia, cùm subitæ mortes, tam proximum periculum, à Gente Christiana, ac mulieribus plurimùm, veluti in summa securitate fuisse admissa. Neque scribere ego ausus fuissem

sem nisi supplicia, exilia, carceres id comprobassent.

Non adeo tamen sterilis virtutum fuit Vrbs nostra, semper religiosa, & sanctorum nunquam effæta virorum, vt memoranda etiam tum non ediderit charitatis exempla. Tunc Alexandri VII. summi, & optimi Pontificis pietas, liberalitas, mansuetudo, clementia plurimùm enituere; & onus pastoris quàm sanctè substinuerit, neque optimates, neque plebeios latere potuit; quia inspexerunt illi, hi sunt experti. Romę cunctos mendicos, mutilatos, inutiles, qui vijs, & plateis vagantes stipem precabantur, in vnum coactos pluribus men-

sibus

ſibus ſubſtentauit. Vrbanas pauperum familias plurimas toto tempore peſtilentiæ pecuninia iuuit, atque alimentis. Quatuor Xenodochia rebus omnibus inſtructiſſima imperauit, in Inſulà, ad Diuum Euſebium, ad Diuum Pancratium, ad Carceres Innocentianos, ac totidem depuratoria gratuita omnibus aperuit. Tot ægrorum millibus, tot valetudinarijs, tot ſuſpectis, miniſtris, ſeruis, armigeris medelas exhibuit, & alimenta, grandia, promptiſſimaque numerauit ſtipendia. Domos, pollutasque res omnium, tam egenorum, quàm diuitum nullo cuiuſquam im-

pendio, sed publica pecunia depurari voluit. Ad eius colloquium sæpius Patres admissi identidem audiuere suorum temporum calamitates deplorantem: Insultantem Orientem, commotum Septentrionem; iam lassos Germanorum Populos, Hispanias depopulatas, Galliarum opes attritas, Italiæ partem bello, alteram fame consumptam, pestilentia insuper deuastari; nihil vsquam quietum. Propositas sententias aduersus eos, qui ex locis infectis clam in Vrbem penetrauerant, vel res infectas intruserant, furati erant, celauerant, vel ægros non detulerant, ac pœnam capitis propterea me-

merebantur, plerumque mollivit, rarò subscripsit, satis funestam tempestatem dictitans etiam absque suppliciis eorum, qui vel metu, vel inopia, vel etiam pietate erga suos deliquerant. Actum esse de mortalibus, si quando Deus punit, Princeps etiam sæuiat, non parcat. Vidimus Marium Chisium virum pij, magnique animi, qui Romam mærore affectam quotidie circuibat, ægrorum, ac pauperum adiutor, pauentium consolator; ac frequens non procul à cancellis valetudinaria omnia intrepidus reuisebat, necessariarum rerum prouidus scrutator. Vidit etiam vniuersa ciui-

tas Franciscum Barberinum Card. cunctis Gentibus clarũ, & ad ardua natum virum, qui in alienã securitatem intentus, suæ oblitus per morbosos, & angustos vicos transtyberinos, quotidie, ac pedes obambulans, pecunias, alimenta, medicamina munificè largiebatur. Neq; cæteris, Cardinalibus otium: erat idem omnibus erga suam Vrbem amor. Curarum autem, laborumq; multa moles penes Prælatos; nam diu, noctu, domi, in vijs assiduo ciuium confluxu exagitabantur; his nempe auxilium aduersus miserias orantibus, alijs ægrè ferentibus suos, & supellectilem in Xenodochia, & depuratoria ab-

strahi,

ſtrahi , cadauerumque ſepulturam intra Eccleſias ſummo conatu , fauore, precibus , lacrymis , querelis extorquere contendentibus. Hoc ipſum pietatis ſtudium longè altiùs tetigit præcipuas Cœnobitarum familias. Ex his plures Vrbem circuibant migrantium animarum innocentiam curaturi. Nouimus popularium opulentiſſimos , qui non palam , & oſtentandæ pietatis ſpecie , ſed clam , & eò magis grati , ægrotis , & egenis neceſſaria largiebantur . Alienigenarum etiam pectora vi charitatis exarſere . Initio ægritudinis poſitum ab Hiſpanis Xenodochium , alterum à Luſitanis ad finem vſque

morbi aperta suis perman-
sere. Grandia quidem hæc
pietatis exempla; horrifica
verò, & amoris propè mo-
dum egressa, quæ sequun-
tur. Ausi enim sunt non-
nulli in Insulam ire, vnde
nulla ferè spes erat redeundi,
gratuitam operã ægris præ-
staturi. Et inter hos Virgi-
lius Spada, ac Petrus Fran-
ciscus Scarampius, vter-
que vir clarus, ac D. Philip-
pi Nerij sectator. Sed Vir-
gilius iussu Principis statim
est exclusus, redditusque
Bernardino Spadæ germano
fratri, summæ existimatio-
nis Cardinali. Alter autem
& mansit intrepidus, & for-
titer excessit circa finem
Septembris, emeritus tanta

in

in genus humanum pietate Cœlitum conſortium, memoriam ſempiternam, ac tumulum pro tempore conſpicuum in ædibus D.D. Nerei, & Achillei.

Interim ſub Octobris initia nullum Vrbis vicum non aggreſſa truculenta lues, ſemper magis inhorreſcebat, vt ſingulis diebus quadraginta, & plures ciues diceretur opprimere. Tunc procerum, ac diuitum plurimi non egredi per Vrbem, domi continere familiam, clauſis penitus foribus. Alij obiectis geminis cancellis, ſed tanta diſtantia interiecta, vt exteris, & incluſis venientibus ad colloquium vtrimque pateret

conſpectus, maneret auditus; odor, & contactus ſolus arceretur: paucis tamen extra relictis ſeruis, quibus curæ eſſet, ſi quid clauſis neceſſarium foret, comparare, ad limen deponere, vel per feneſtras, protenſo fune, porrigere. Non diſſimili induſtria munitas quaſdam Eccleſias vidimus, cencellis ſcilicet circum altaria diſpoſitis, vnde ſacrificans Sacerdos conſpici, & audiri etiam poſſet. Craticulæ, per quas ſolemus Sacerdotibus noſtra piacula confiteri, nuſquam non velatæ viſebantur membranis ouillis, quæ voci etiam ſubmiſſæ peruiæ, ſpiritum tamen non tranſmittunt. Quidam non prorſus

ſus his fidentes, ligneis relictis ſubſellijs, chartaceis tentoriolis incluſi de humanis criminibus cognoſcebant. Mox autem hæc quoque ſunt omiſſa, vel iam excuſſo pauore, vel quia res inſolita riſum moueret. Expedita inſuper omnia templa, celebriora præſertim, quò hominum maior affluentia eſſe conſueuerat, ligneis ſedelibus amotis, ne, omnibus communia, contractam fortè luem aſſidentibus inſinuarent.

Nulli autem omnium animis magis conſternati, quàm artes medicas exercentes ac preſertim, quos nō conditio, non officium eximeret, non Principum fauor, ac pa-

trocinium tutaretur. Nam si abderentur, metus ex Principe; & sublato commercio vijsque obsessis, periculosum, atque arduum erat effugium; si verò cunctarentur, in Vrbe, ac nosocomijs medendi onus instabat: Quod, quamuis breue, quindecim nempe dierum intra Xenodochia, & alibi triginta fuisset constitutum, plerique tamen id præstantium deficiebant. Huiusmodi angustijs ego quoque implicitus, XIII. Calendas Nouembris, cùm nihil lætum expectarem, ac pestis summopere sæuiret, nuncium accepi, sortitò meæ curæ obtigisse eam Vrbis partem, quæ inter

ter Tyberim, Vaticanum, & Ianiculum montem extenditur vſque ad veſtigia pontis Sublicij. Non alibi maior egentium turba; non alibi maius periculum. Nulli mortalium in peſtem magis procliues, quàm pauperes ſunt. Viliſſima quæque in alimentum parant: ijsdem diu veſtibus, ac quidem ſordidis induuntur. Arctè, ac denſati habitant, dormiuntque. Horum igitur humiles, & anguſtas ædes ſubiturus, poſitis laneis, li neis vti veſtibus conſtitui, ſed oleo è ſemine lini, litargirio, æris ærugine oblinitas; non ignarus feſtucas, & peſtiferum odorem non prehenſuras, vel admiſſum, aceto ſtatim

etiam deleri posse. Neque hoc munimento penitus contentus, dum ægros, & arterias attingebam, digitis aceto madentibus; facie semper auersa, spiritu compresso, sulphure, & aceto intincta spongia naribus, & ore obstructis; raro alloqui, procul ab ægris, seruis, domesticis omnibus; in via describere medicamina, rebus meis vti; raptim omnia exequi. Ac domũ regressus sordidas vestes exuere, ad aerem expandere, aceto quandoque affricare, sulphuris vapore cubiculum, & intus pendentia vestimenta sæpius afflare consueueram; contentus victu modico, puro, somno breui, non diurno.

Ad

Ad ægrotos nunquam ieiunus exibam, hilaris, tristia declinans. Et si quando mortis horror ingruebat, illud identidem repetebam. Adeo ne mori miserum est, si mors finis agendi laborumq; est, quies inconcussa, nihil? Iam alterum supra quadragesimum annum exegisti, & nisi te viuendi amor aduersum agit, meliorem vitæ partem, ætatemque, qua si mortem obeas, miraculorum mundi non omnino inscius migras; ac satis doctus, nihil propè in humana Republica non caducum esse, non aliud à specie, qua ostentat sese. Sic satis munitus, animoque firmatus, quintum supra trigesimum diem

inter

inter infectos versatus incolumis sum, cùm pestis summa sæuitie quatuor circiter millia ciuium occubuere, & ex his septem medici non omnes obscuri.

Hoc temporis tractu, & in tanta ægrorum frequentia quid viderim, quid egerim, si strictim memorauero, haud inanem prorsus laborem me suscepturum credam. Ægrorum itaque plerique, qui mihi obuenerunt, pauperes; vel quia hi longè plures, quàm locupletes sint, vel quia propter inopiam, angustias, & consueta exercitia nihil remittere poterant mutuę conuersationis. Et ex his foeminæ plures fuerunt modico calo-

re, humiditatis excessu in putredinem, & labem magis dispositæ; seniorum non multi, non quia immunes sint, vt à vulgo reputantur; sed quia pauciores. Infantium idem ferè ac senum numerus. Nullus non febre obsidetur, eaque plerumque non acri, sed solùm circum initia. Primis lapsis diebus, adeo sæpe deferuescit, vt nec medicis, nec ægris sentiatur calor (& hæc forsan est pestis species, quam sine febre credidit antiquitas, cui nondũ in vsu arteriarũ pulsus erat) Neq; sitis omnibus molesta. Cibi perpetuum fastidium, & si vi immissus, non permanet. Omnes ferè vomunt amarum,

rum, & flauum; alij primis diebus; alij donec ægrotant. Frequens capitis dolor inquietat; sed non omnibus vehemens; vel breuis, si immanis. Sopor mox, deliriumque; aut stupor consequitur. Quidam simul vigilant, stertunt; vacillant, obliuiscuntur, festucas carpunt, intentique sunt. Aliqui torui, oculis rubent. Tristis faciei pallor, lingua impedita, tumida, nigra, non semper aspera. Aurium sonitus, vti ventorum fremitus; capitis vertigo. Non consistunt, si surgunt. In vias, ni cohibeas, diffugiunt, cadunt præcipites: fores, & fenestras non distinguunt. Vrinæ ab initio omnibus

nibus tenues sunt, aqueæ, limpidę, mox turbidæ, & corruptæ, sub finem clarescunt, si natura vincat. Arteriarum pulsus primis diebus validus, statim mox languet, creber, vt vix ictus distinguantur emorituris Aliquãdo defectio, conuulsiones: singultus. Rarò sine carbunculis, bubonibus, peticulis. Carbunculi, dum inchoant, veluti rubra lenticula, deinde aucti pellucent, liuent in cuspide, rubent in ambitu: bulla distrupta effluit ichor, crusta obducuntur: subtus caro demortua, nigra assiduè panditur, etiam in gangrænam; non habent determinatam sedem, vbilibet innascuntur; non veluti bu-

bo-

bones, qui vel pone aures, vel ſub axillis, ſæpius in inguine, ſemper in glandulis: vel ſtatim cum febre prodeunt, vel poſtea; antea perrarò. Peticulis non eadem ſemper magnitudo, aut color ſeruatur: aliquando miliares, & frequentes emergunt, nonnunquam lenticulares, & raræ: ſed hæ ſemper nigrę; illæ verò ſiue rubræ, ſiue puniceæ, quandoque etiam liuidæ: non extuberant, non vlcerantur, non dolent, ſupra cutem non attolluntur, non dilatantur, inſenſibiliter vaneſcunt. Si autem rubræ ſint, ſi carbunculi cedant appoſitis, & caro extincta ab integra ſeiungatur, ſi vri-

næ

næ inclarescant, non minùs extra, & in partibus, quàm intus, & vniuerso corpore naturæ res secundas esse palam est: vitæ spes certa adest: Contrà si papulæ sparsæ, nigræ, non dubius, non serus interitus adest. Si autem bubones contumaces sint, aut detumescant, necem plerumque portendunt, ij præsertim, qui post aures, aut sub axillis oriuntur. Neque minùs funesti carbunculi sunt, si cōtemnant obiecta. Vrinæ, cùm perpetuò turbidæ minguntur, aut magis turbantur; cùm pulsus semper demitur, mors ineuitabilis. Illi autem, qui afficiebantur pestilentia, super tertiam partem, non

vsque

vsque ad dimidium conualescebant. Qui verò rapiebantur, rarò circa septimam diem; plures prope quintam, nonnulli etiam secunda, etiam prima.

At, quæ adhuc memorata sunt, non peculiaria pestilentiæ, alias etiam ægritudines comitari consueuerunt: bubones videlicet luem Gallicam, febres ephemeras. Peticulæ verò, parotides, vrinæ turbidæ, delirium, sopor, animi deliquium, pulsusque exiles malis etiam febribus sociantur, nedum pestilentibus. Quæ si tempore pestis contingant, vel nullo modo cognoscuntur, vel serò, postquam extinctæ,

ac neminem domesticorum læserint, pestiferarumque terminum prætericrint. Neque mitissimarum febrium initia, tertianarũ, quartanarum, quæque ex destillatione, aut lassitudine oriuntur, primis horis discernere vllus poterit. Venereos autem bubones concubitus semper prægreditur, sæpe gonorrohæa, caries præputij, nunquam, vel rarò febres; & quando accenduntur, circa vesperas, noctuque paulò asperiores, quàm die; Vrinas non turbant, vires non frangunt, mentem non mouent. Neque si nimio motu, vel propinquæ pustulæ consensu glandes axillarum, aut in guinis in-

tu-

tumuerint, quidquam horrificum afferunt; æstus tolerabilis, pulsus parum variat, mens hilaris, color oris, & oculorum viuidus; Salutares carbunculi febres semper præeunt, easque veluti diarias: non in pulsu, non excretis varietas, vel nota sanguinis putridi.

Igitur ex tam ardua, ac sera pestis notitia funestas illas strages potissimùm crediderim, quas ferè quotannis Gentes accipiunt. Par pestilentiæ ignis impetus, & vterque facilis pressu, dum incipit; postea difficilis omnem industriam superat; ex vastitate cedit. Neque alia videtur esse causa, cur aduersus pestem inuenta

medicamenta infeliciter plerùmque propinentur. Primis morborum initijs ancipites hæsitant medici, vel ægri benè sperantes cunctabundi; & si statim consulunt, notas, & signa pestis occultant, leuissima quæq; referunt, funesta tacent, aut minuunt, in melius traducunt, leniunt, vel metu Xenodochiorum, vel hominum consuetudine non loquendi mala sua, aut falsò, aut quadam patientia. Eorum, qui peste affecti me aduocauere, nullus verè morbum aperuit. Bubones ex labore, aut conatu caussabantur. Carbunculos autem antiquas, & sibi suetas pustulas, vel vnguium velli-

licationes, papulas pulicum morsus suadere conabantur: fortasse quia non ea mala sentirent, quæ perhorrenda mentibus infigit pestis nomen, & nos semper maiora concipimus. Quin & postquam aliqui conualuere, delusos se, iniurias, & damnum accepisse lamentabantur: si autem decederent, medicos culpabant propinqui, quod veluti peste infectos curauissent, qui mitiùs ægrotantes alijs medicaminibus iuuandi erant; seu ad medicorum suspectorumque conspectum, pestis opinione inducta, concussos, metuque examinatos fuisse. Dum itaque sic cunctabantur, augescente lue, mox &
in-

inuincibili, seque, & vniuersam familiam in exitium dabant. Eorum, qui statim, & fideliter tradidere sese, ne dimidia quidem pars oppetiere. Nil viperarum, & rabidorum canum morsu magis noxium; si remedia tamen properentur, rarò quisquam non seruatur. Neque casu id factum crediderim; plures illi extitere. At ex ijs, qui moras nectebant, increduli, aut destituti, pauci in priuatis ædibus, vix pars vigesima in Xenodochijs restituebatur.

Non ardua, & inusitata, sed prompta, & vnicuique nota mos mihi fuit præbere subsidia, eaque satiscenti naturæ non grauia, non aspe-

ra, nihil detrahentia. Nunquam ſanguinem fudi. Ventrem, niſi ſegnis eſſet, haud irritaui; & tunc ſalso, ac pingui iure per clyſterem immiſſo. Brachijs, & cruribus quoquè, ſi ætas, & vires tolerabant, ſtatim fixa veſſicantia præcipuum medicaminum erant: neſcio, an tenuis, & exigui humoris effuſione, an quia dolore excita natura, viribus collectis, veluti excandeſceret: faciliùs crediderim, cantharidum ſpiritum intra venas tranſgreſſum, dum ſanguini permiſtus totum circuit, peſtiferum virus erodere, vrere, diſijcere; coniectura capta ex vrinarum acredine, veſſicam, vbi colliguntur, ac

diu

diu morantur, vellicantium, & cum cruore quandoque prodeuntium. Primis diebus mane, atque veſpere pluribus cucurbitulis corpori fixis, quinquaginta grana propinabam lapidis, quem noſtri Bezaar dicunt; aliquando plura; nonnunquam & viperarum puluerem, aut bufonem vſtum adijciebam, vel ex vino, vel ex aqua cardui benedicti, vel florum malorum medicarum. Tantumque audebam, non ignarus, quàm validum venenum oppugnarem, quantum ſanguinem, quàm longum tractum, quos venarum anfractus ſubiturus eſſet ille nihil ſapiens lapis, naturæ non infenſus, incertum,

quomodo validus,& sudorẽ eliciens. Veneream labem, ni pestifera fortiorem, magis saltem contumacem, vix plures libræ ligni Indici, vix æstuaria expellunt, atque consumunt. Placuerunt ante prandium, & cœnam Hyacynthorum confectio, aliquando Theriaca, Mithridatium, sed succo limonum liquata. Cum nimijs vigilijs ægri lassabantur, Theriacam cum Laudani momento imperabam. Si capitis cruciatus vehemens exagitabat, abrasis capillis, aqua violarum, nymphea, rosarum, exiguo aceto instillato, caput rigabam. Si sitis angeret, aqua fontis bis destillata spiritu salis diluta

ad

ad satietatem hausta inter remedia erat. Cùm iam primi duo dies lapsi essent, parciùs quàm antea offerebam lapidem Bezaar cum puluere viperarum, seu sulphuris lacte, at mane tantùm, & ex aqua Theriacali. Epithemata, atque alia odorata, quæ super cordis regionem admoueri solent, ægris, vel domesticis poscentibus, permittebam, ceu odoramenta, & aerem cubiculi correctura. Cor enim adire per costas, cutem, musculos, & alias thoracis partes, febres temperare, viresque reponere, non facile creditu. Vtilius sanè acetum, in quo Theriaca cum argento viuo soluta sit: penetrat enim,

quamuis exteriùs affricatum hydrargyrum, putribus est infensum, refrigerat. Nauseantem stomachum acribus alimentis, granatorumque vino compescere curabam. Malagmatum genera, quibus operiebantur bubones, varia varijs placebant; sed magis vsitata ex cæpa feruidis cineribus cocta, adipe vetusto, fermento, croco, oleo scorpionum, Theriaca. Erant, qui adactis cucurbitulis trahere, ac pus sollicitare nitebantur. Pessimè autem agebant, qui ferro, hirudinibus, igne, cantharidibus non dum maturos asperabant, vti quamprimum cum pure virus etiam educerent. Non enim pusillud es-

effluens incolumitatis cauſa eſt, quamuis ſeruarentur omnes, quibus ad maturitatem perducebantur bubones. Sanies illa minima portio eſt vaſtæ molis ſanguineæ in glande conputreſcens. Neque tantum peſtiferi ſanguinis per apertum tumorem manare veriſimile eſt: quia, iam deuicta peſte, vel omnibus in melius cedentibus, coctum quidem tumorem, nondum autem diſruptum, & pus eructantem ſæpe ſum intuitus. Quininſuper omnino ſanos animaduerti, duris adhuc perſiſtentibus tumoribus, qui clam denique vanuerunt, vel in putredinem abſceſſere, leui febre, ac dolore denuo

excitis, vti ſemper, quando pus decoquitur. Non ab his externis febris, delirium, ac reliqua ſæua, ſed à ſanguinis ſummo vitio oriuntur: hæc enim ipſos bubones plerumque anteeunt, & aliquando ne ſocios quidem habent. Nihil omnino perpetratum foret, ſi bubones matureſcerent, ſanguinis labe indomita. Putridis ſæpe parotidibus, pureque largè manante, febres tamen malignæ, & perſtant, & occidunt. Exemplo inſuper ſunt, quibus ex concubitu bubones venerei ſuborti in pus multum, ac diuturnum abeunt, non tamen poſtea lues vitatur, articulorum dolores, vlcera, & alia fæda-

da. Erroris occasio est, quia putrescente glande, nihil amplius atrox. Putrefactio autē rarò ante diem septimam solet contingere, quando venenum pestiferum, aut fractum, aut penitus deuictum est. Dum adhuc oriebantur carbunculi, Theriaca, & oleo scorpionum vt priùs exciperentur imperabam: mox lancinati, vnguento Ægiptiaco ex alumine, sublimato, & alijs confecto operirentur. donec ab integro seiungeretur corruptū. Nunquàm ad ignem vsque sæuiri patiebar, nisi dum in gangrænas propensi partibus, ac toti simul minarentur exitium, neq; alijs cedebant auxilijs.

Summa victus parsimonia, quæ in ceteris morbis acutis tantopere commendatur ab antiquioribus, peste laborantibus non prodest. Detractis alimentis, & sanguis simul minuitur, citiùs inficitur; cadit virtus, cedit vita. Quater propterea ab ortu ad ortum Solis, nonnullos etiam quinquies alebam electis alimentis, liquidis, coctu facilibus, mole modicis, pomorum aciditate, salis spiritu, seu vitrioli plerumque instillato. Cunctis vinum offerebam, etiam auersantibus, sed limpidum, fuluum, vetustum, acidulum, aut subamarum. Æstuantibus autem, siticulosis, capite laborantibus, furio-

riosis, non dormientibus magis dilutum. Stomachicos, obliuiosos, atque omnia genera alimentorum respuentes vino mollibus crustulis diu substentatos, ac tandem seruatos plures vidi. Nihil citiùs vires redintegrat, quàm vinum; sanguinem enim tenuat, reserat vias, eijcit superflua, atterit venenum, viscera firmat, mentem exhilarat, reuocat soporem.

Hos ego vidi pestis effectus, hæc feliciùs expertus sum auxilia. Quæ speciosis nominibus clara, & encomijs celebrantur antidota, famæ haud ita respondent, cùm ad vsum reuocantur. Non ea loquor, quæ mira

verborum suauitate, crispa fronte, cilijs elatis à pessimis quibusdam caro prætio vendebantut, ex obuijs quibussuis, sordidis, vilibus conflata, & tamen propinquo periculo, ab illustribus, ac prudentibus quoque auidè quęsita. Prætereo etiam gestata, vel ex collo pendentia, hydrargirum, aut calamis clausum, aut iuglandium corticibus; arsenicum, sublimatum, aretactos busones, anulos, effigies, characteres, cantiones, vnguenta, odores, sine quibus omnes esse metuebant, nullus perimebatur: alijs tamen adeo non excussa credulitas est, vt ijs rebus quidam instructi, & animati non horruerint in-

tra

tra Xenodochia ingressum deprecari, cunctos veluti seruaturi, sed qui breui correpti nec se ipsi seruare potuerunt. Ea loquor solummodo, quæ à vetustis, posterioribus, etiam nostris, & magis conspicuis aduersus pestem vulgata sunt medicamenta: magniloquorum insuper Chimistarum inuenta, miraculaque, pulueres, sales, spiritus, essentias, extracta, & alia grandium, & inusitatorum nominũ, mole quamuis minima, virtute tamen violenta, & magis acria ex ignis contumacia, fæcumque secretione: sed pluribus adhibita, ac paucis bono euentu, & ipsa dubiæ fidei, & minimi valoris cognita

gnita

gnita sunt. Nec profectò mirum, si contra pestem morborum omnium maximum nullum adhuc repertum praesentaneum, validumque remędium sit. Diuturniores, & minùs truces ęgritudines, Epilepsia, Melancholia, Suspirium, Tabes, Hydrops, Podagra, Cancer, & mille aliæ irritis auxilijs pariter impetuntur. Non obscura febrium quartanarum contumacia frustra plerumque tentatur. Et quamuis ex Peruano climate nostra ætate aduecto cortice, & ex vino exhibito, quindecim sæpe diebus sileāt (peculiari nempe, & summo amarore sanguinis malitia obumbrata, præpeditaque) mox tamen acri

acri ſapore excuſſo, vitium ſuperſtes denuo partes exagitat, ardoris, ac febris ſenſum parit, ni fortè ſpectans in finem, dum confuſum otiatur, à natura omnino aboleatur.

Tandem, Decembri menſe abeunte, funera adeo ſunt imminuta, ac tam rarò vlla familiarum fædabatur, vt Ianuarius feliciorem annum aperiturus non dubiè crederetur. Et ciues inuicem ſibi gratantes fauſtum, neq; temere augurabantur. Iamque formidine liberę mentes, ſtudijs reſumptis, hanc potiſſimùm curioſitatem exuere nitebantur. Quæ peſtilentiæ cauſæ? Mathematici ſyderum interpretes, qui-

que

que mortalium prospera, vel aduersa astrorum ex aspectibus arguunt, Martis, ac Saturni maleficam societatem pestis causam differebant. Sed cùm Sardi pestilentiam senserint ante huiusmodi cōgressum, nec postea res nostræ quiescerent; imo alia municipia oaderent, à leuissimo quoque audiebantur, nullis, vel inanibus rationibus fulti, atq; semper mentientes, nisi dum res casu congruat. Non plus fidei penes eos mansit, qui graui supercilio tanti mali causas prædicabant Solis, & Lunæ defectiones præteritas, atque ante quatuor annos visum Cometen nullo tunc salubritatis nostræ detrimento; nisi

fortè alius mos ſit cęleſtium, alius aliarum cauſarum, quæ non dum ortæ, aut extinctæ, quia nihil ſunt, nihil moliri queunt.

Meliùs, qui noxium ſpiritum è Terræ ſinu fluentem peſtis auctorem arguebant ex ſegetũ tabe, qua ſub meſſis tempus annis præteritis ex improuiſo inaruerant ariſtæ, viuidæ primùm, granis onuſtæ, & vberem promittentes annonam. Pecorumque ex ægritudine, ſtrageque; boum ſcilicet lingua, & faucibus vlceratis, ac minutiori gregi vngulis corruptis, deciduiſque. Maculatis autem frugibus, & carnibus, quibus plurimùm viuimus, noſtrum ipſum ſanguinem

nem maculari, ac summa putredine corruptum, non solùm corpori, quo clauditur, calamitosum esse, sed etiam exitiabiles vapores emittere, qui eorum, in quos incidunt, sanguine corrupto simili labe, eam pariunt ægritudinem, cui contagionis nomen fecimus. Ipsum quoque vinum, si ita putreat, vt migret in acetum, doliorum pestis acerrima est, ac suauissimum quodque vinum acore suo vitiat, parcè licet affusum. Et fermentum genus putridæ massæ, ingentem crudi panis molem fermentat vnà sedulò mistum. Mirum vtique non esse, si morbo correpta Romana Gente, finitimæ non sense-

rint

rint calamitatem. Neque omnes Vrbis familiæ tactæ sunt; plurimæ immunes euaserunt. Sunt in prouincijs oppida, quemadmodum in oppidis familiæ. Eademque causa, qua pestis non omnes affligit domos, cùm aliquam vrbem inuadit, eà ipsa, dum in prouinciam irrumpit, plures vrbes preterit intactas. Mira insuper est Orbis Terrarum diuersitas: alia Romani agri temperies, alia Tusculani, alia Tiburtini, alia Sabini. Neque in agro prædia, neque in prædio partes omnes vniformes sunt: hic enim humentes illic arenosæ, alibi saxosæ cernuntur. Terrarumque ex diuersitate diuersi etiam

ha-

halitus, malefici, salubres. Non aer, non aquæ, non fruges similes vbique sunt, humanorum quoque corporum texturæ, temperiesq; variæ. Nec omnes propterea in eandem ægritudinem æquè propensæ sunt. Non ineptum profectò argumentum. Sed Italiam fermè totam pecorum, frugumque eadem labe peruagata, non pestilentia, haud omnibus vndequaque acceptum erat, ijsque præcipuè, quibus pestis semper per contagium, & causa nunquam non translatitia creditur.

Intentiore tamen mente, nutuq; magis fauorabili audiebantur, qui lepram, & scabiem in conspectum fere-

bant,

bant, ægritudines nempe, quæ paucis innaſcuntur ſpõte, plurimos per contactum inuadunt. Non alia ratione peſtiferum venenum incipere, & ortum longè ferri. Errare vulgum, qui peſtem ferocientem audiens, ſemper credit aliunde. In vrbes ſæpenumero peſtem ſe intrudere, nullo vndique illius rumore antea perlato, vel incerto, ſæpius falso. Haud vnum ſemper eſſe ſanguinis ſtatum; mutationibus quammaximè obnoxium eſſe, ijsque perquam varijs: iuxta cauſarum diuerſitatem in varias formas mutari, ac varijs morborum generibus tranquillitatem mortaliũ exagitare. Quid ſi in cute putri-

tridus ſanguis lepra, aut ſcabies eſt, intta venas peſſimè corruptus peſtis eſſe nequeat, quæ in contiguos traijciat, ſimilique ratione polluat, & exanimet? Non deficiendum animo eſſe, ſi ſumma putredine ſanguis vitiatus, vti qui febres malignas alit, cùm vni, aut alteri ægritudinis cauſa eſt, reliquis domeſticis non ſit detrimento. Variare & putredinis modum. Interdum ex corrupto ſanguine quid naſci fluxile, non ægrè ſuperabile, quod licet in proximos, ac tangentes effuſum, vaneſcat tamen ſine noxa.

Audaces alij in vno, vel altero homine adeo ſanguinem poſſe putreſcere conten-

tendebant, vt non ampliùs sanguis, sed vis ingens minutissimorum, insensibiliumque vermiculorum sit, atque etiam nutrimentum. In cute quandoque pediculos, in vlceribus vermes, intra stomachum, aut intestina ex cibo corrupo lumbricorum genera formari, qui eadem ac pestis, mala moliuntur, febres malignas, mentis alienationem, lethargum, conuulsiones, animi deliquia, vomitum, alui fluorem, interitum. Visuntur interdum verno tempore per longum nemorum tractum fusa erucarum agmina, quæ non alijs arborum folijs viuunt, quàm ex quibus procreata sunt. Sic orta ex suberinis

in-

insecta, neque populos, neque quercus expoliant: lanearumque rerum tineæ triticum auersantur, triticeæ fabas. Compertum est microscopij beneficio, turbas exilium vermium febriculosum sanguinem innare. Ioseph Balestra, qui in Insulæ nosocomio chirurgum egit, auctor est ex molli, ac turgido bubone, ferro facta via, dum puris fluxum expectabat, vermium globos prodijsse. Athanasius Chircherus strenuus huius sententiæ defensor, atque æui nostri notus philosophus philosophiæ genere grauissimo, non ex Logicis argutijs petito, sed experimentis sedulò repetitis, refert in libel-

lo,

lo, quem de peste nuper edidit, in humero cuiusdam puellæ natum tumorem, ac diù, multùmq; auctum, tandem diffractum, summo domesticorum horrore fœdum bufonem vomuisse. Haud igitur nefas erit asserere humores, quando plurimã putredinem patiuntur, in id genus insectorum degenerare, quod humanum solùm sanguinem appetat, non cæterorum animalium; & ibi insuper concipiat, enitatur, latèque naturam suam noxiosissimam propaget. Neque his tantùm fulta hæc sententia est; suis non inualidis coniecturis & innititur. Acetum enim, hydrargirum, & alia valde

acria, quibus omne genus reptilium euertitur, ea ipsa pestilentiam infringunt, luemque pestiferam ex quauis re promptissimè abstergunt. Neque alibi tenaciùs, ac diutius fouentur, quàm laneis, ijsque rebus, quibus viuificum quid ex vita semper superest. At quod ad instar portenti est, pestes memorantur, quæ latè orbem deuastauere, ab vna veste, aut homine maculato oriundæ, Quod non sine manifesto incremento, neque incrementum absque generatione; neque generatio, & incrementum sine intimo motore, vitaque prouenire posse videntur. Non enim vti iugiter manan-

nantium aquarum, ſeu fumi, ſeu terrenorum vaporum augmentũ, quæ licet producantur, ſibi alia ſimilia; non generant ſed veluti pecorũ armenta, auium turba, & quidquid per ſemen increſcit, genusq; continuat. Vel ſicuti ignis, acetum, fermentum, ſanies leproſorum, rabidorumque canum virus; quibus aliquid vitæ ineſſe, hinc ſatis arguitur, quòd non ex omnibus promiſcuè ortum capiant, ſed ijs tantùm rebus, quibus acta eſt, & extinctis, aliquid ſpiritus viuifici adhuc reliquam eſt; Fermentum enim ex maſſa; maſſa ex triticea plurimùm farina: triticum ſegetis rudimentum, & ouum ferè eſt,

frugifera vi plenum. Acetum autem quid fermento simile. Vtrumque acidum, & erodens; vnum verò liquidum, alterum solidius: hoc ex vuis pressus succus, illud ex frumento. Ignis rerum viuentium vita, aut vitæ plurima causa est, & ex viuentium cadaueribus, sulphureis, nitrosis, non omnino mortuis; Et cùm semper fluat, sese vibret, adnitaturque, atque interceptus illicò pereat, aut mouendi principium est, aut habet. Sanies, atque venena animalium, nec ipsa destituta spiritu sunt, quia habuere.

Negabant alij, salua vita, tam immane vitium sanguinem pati posse. Vnicum ipsum

ipſum vitæ pabulum; & iam verminoſum naturæ eſſe ingratum, atque exitioſum. Quaſi vllus ſentiat in vermes totum ſanguinem citra mortem migrare poſſe, & non potiùs partem ſolam putrere, ac peſtem inferre; alteram verò adhuc ſinceram ſtare pro natura, vitamque ſubſtinere. Iidemque differebant, nullum viuentium ex putridis rebus procreari: Conditas ab initio omnium animalium ſpecies, tam grandium, & nobilium, quàm minimorum; & quæ vulgus ex putri putat oriri, ſemine perpetuari. Aduerſis tempeſtatibus inſectorum genus infirmiſſimum ad exitium propemodum perduci,

non nocere, non occurrere, finitum ab hominibus censeri. Aptis mox temporibus recurrentibus, eorum innumeram multitudinem denuo reparari, &ex putri materia genita credi, quia circa putria inueniuntur; & oua, aut exiguitate latent, aut ignota sunt. Sic nostris corporibus vermes pestiferos perpaucos, & minutos ali etiam annis salubribus, & durare, donec aliquà causà sanguis vitiatus foueat, & eò augeat, vt noceant, & pestem inferant. Ita inter segetes semper viuere locustas, non tamen ea copiâ, quam annis præteritis vidimus., nisi quando quid ipsis propitium halant ter-

terræ. Ingeniosa sanè sententia, & digna grandibus ingenijs; si notum esset, quomodo vermes, aut semen nuces subeant, intacto cortice, & alios fructus plurimos. Quomodo in intestinis infantium, qui solo lacte viuunt, lumbrici, & in lignis durissimis teredines producantur. Ac insuper ex imbris guttulis in feruidum, & puluerulentum solum incidentibus ranulæ tam subitò formatæ exiliant.

Non deerant insuper, qui veluti per iocum sciscitarentur, quod hoc animaliũ genus pestiferum? Villosum ne, squamosum, quadrupes, bipes, reptile, volucre, oua, an viuum fœtum

parturiens, rostro, aculeo, dente, an vnguibus instructum? Sed hi ex eorum classe sunt, qui veluti pecora in terram proni, nihil plus inueniri putant, quàm quod sensibus obuium est. Si limpidum acetum vermibus confusum esse; ac benè clausum, tersumque cubiculum puluere vago turbidum; si pulices versicolores, ac pilosos; si in terram conuersus, varias, & mirabiles animalculorum species, oculis aptato microscopio, te inspicere his dixeris, non irrideberis tantùm, sed vti mente æger ostentaberis.

Tot sententiarum diuersitate aliqui distracti, incerti quò se verterent, reique im-

pares

pares,Deum rerum omnium auctorem, & causam afferentes, rem statim extricabant, silentibus litigatoribus, quamque sentiebant humanam infirmitatem,nullo rubore fatebantur. Caligantes nimiùm esse, atque imbecillas hominum mentes, qui tam longa serie annorum, qualis propemodum est ab orbe condito, circa scientias rerum rixati, nil plus didicerunt, quàm rixari. Nullam ampliùs reliquam esse spem noscendi hæc abstrusa, si lux etiam obscura est; si colores, frigus, caliditas, & quidquid sensus nostros perpetuò circumstat, à mente longissimè adhuc absunt. Si febres,

sitim, ac dolores sentimus quidē sed sumus consecuti.

Non segniùs, neque sine occasione litigabant alij, qui vno, aut altero in pestem lapso, magnam ciuium partem tractam viderant: mox, cùm tot centenis infectis, in omnes erupturam labem nō vanus timor erat, derepente, ac præter omnium expectationem ferociam remisisse. Quomodo igitur hoc fieri potuerit requirebant. Frigorum hyemalium aduentu obstupuisse virus quidam opinabantur. Alij borealibus flatibus disiectos iam exortos vapores pestilentes, ac Terræ superficie densata, nouum alijs fluxum interclusum asserebant. Sed satis

tis hos arguebat Neapolis pestis, quæ, valida iam æstate, eodem modo desæuierat. Eam veneni pestiferi indolem esse plures differebant, vt hyemis, & Æstatis impetum non toleret, veris, & autumni lenitate excandescat. Testabantur sydenum cultores malum astrorum consortium finitum esse, & pestem simul: His fides habita ab aliquibus, donec Genuæ, Interamnæ, Viterbij, & alibi post prauum aspectum prodijt ægritudo. Iactabant aliqui, assiduè, & pluribus communicatum virus, quamuis vineat, & ipsum etiam semper obtundi; hebetarique tandem, vt amplius non noceat. Veluti

vnum , & idem venenum ſit , quod omnes infeſtat , quemadmodum vna falx eſt, quæ omnes pratorum herbas abradit. Satius fortaſſe, ſi aſſiduis reproductionibus imbecillius ſemper oriri dixiſſent , vti ſeminibus quibuſdam contingit , quę longa ſatione offœta , agricolarum ſpem , impenſaſque fruſtrantur . Veriſimiliora illi loquebantur, qui fuſis per vrbem aliquam ſeminibus peſtiferis , paratos tantùm corripi aſſerebant , cæteros præteriri ; vti ignis in annoſum nemus iniectus , aridas , exiles , & humiliores plantas incendit ; ingentia , & viridia robora afflat ſolummodo . Myſtæ, quique ſupe-

perorum etiam arcana ſcrutantur, munus Dei Opt. Max. prædicabant, cui proprium punire, terrere, non perdere, & ex inſperato tunc finire calamitates, cùm hominum ſupergreſſæ conatum ſunt, reſque penitus deſperatur.

Memoratu neque indignum aliorum litigium eſt: Ingenium ne hominibus ſit id virus comparandi, quod extrinſecùs illitum, ad intima viſcerum traijciat, & non attactos ſolos premat, ſed etiam in propinquos, contiguoſque æque mortiferum feratur, ac peſtem euulget? Illuſtrium ſcriptorum teſtimonijs, vulgarique conſenſu agebant, qui aſſen-

ſentiebantur. Proditũ enim à Tito Liuio centum ſeptuaginta matronas Romanas, M. Claudio Marcello, & C. Valerio conſulibus, dediſſe pœnas, quia venena quædam decoquerent, quibus Romanorum primoribus petitis, peſtilentiam excitauerant. Et imperante Commodo, fraude ſceleſtiſſimorum hominum adeo ſæuam peſtem Romæ exarſiſſe memorat Dion, vt duo millia ciuium ſingulis diebus exanimarentur. Ioſeph Quercetanus à nequiſſimis alijs ex prauis herbis ſtructum venenum refert, quo illitæ ædium fores peſtem attrectantibus inſinuarent. Durat & adhuc rumor ſuppli-

plicij seuerissimi, quod, nostra memoria, Mediolani sũptum de ijs est, qui quodam liquore ostiorum repagula, ac vasa aquæ sacræ inquinantes, pestem producebant. Græculum alij memorabant, qui cedentem Siculam pestem reduxisset, hominibus specie curandi inunctis vnguento ex bubonum sanie, & carbunculorum cruore. Quidni, aiebant, hominibus vis sit coquendi pestiferum venenũ, cuius maleficentia tactu, ac spiritu corripitur, spargitur, & interimit; cùm non dubij sint artifices eorum venenorum, quæ litura, vel naribus admota vitam eripiant?

In-

Inficiabantur alij tantam in hominibus esse potestatem, ex libidine conuellendi genus humanum, cuius auctionem, non exitium Deus ab initio iusserit. Reorum confessione, veneni pestiferi formula vulgata, & simul antidotum, quo decoquentes vim eius eluderent, per tormenta fuisset expressum. Iamque inter arcana dominationum ab impijs Tyrannis haberetur artificium, quo nullo, vel minimo conflictu, exiguo labore, vili pretio hostiles exercitus absumi, arces expugnari, regna possent subigi. Mortiferorum quidem venenorum non deesse magistros, non tamen

adeo

adeo esse igeniosos, vt nouas venenorum species inuenire queant. Ex ijs, quæ natura prodidit, venenis, vel alia magis valida, & minùs sensibilia à veneficis strui; vel quod spirituosum, atque violentissimum est, arte seiungi. Et huius generis ea fuisse, quæ à matronis Romanis, & alijs improbis confecta memorantur; ac pestis causa sunt credita; vel quia temporibus calamitosis administrata fuerint; vel quia pluribus exhibita annum multis funeribus fœdauerint; veram autem pestem non edidisse, ijs scilicet tantùm, qui caperent, aut linirentur, mortifera, haudquaquam illis,

qui pollutos, aut extinctos attrectarent. Hoc soli pestilenti veneno peculiare est, quia viuit, & augescit ex humano sanguine: Ac proinde non ex plantis, non ex fossilibus, vbi non est, eligi posse, sed ex infectis tantùm corporibus, sordibusque parari: Paratumque haud diuturnum, seu non quauis tempestate noxium esse; verùm cùm propensio corporum, cœlique temperies congruunt. Væ generi mortalium, si pestiferum venenum æque semper trux esset, vti toxicum, arsenicum, vipera, & omnia alia, quæ toties nocent, quoties in vsu sunt. Semel immissum, vsque eò fureret,
do-

donec mortales ad vnum omnes conficeret: Nec qui pestem passi essent, quietem, & securitatem inter infectos inuenirent: Discrimini non minùs, quàm nunquam tacti subiacerent.

Hinc occasio alterius disquisitionis. Cur à peste semel vexati, rarò eodem anni tempore denuo corripiantur, licet cum infectis arctè agant? Eam nostram naturam quidam aiebant, vt etiam noxia toleret, si pluries tolerauerit. Vulgarem esse casum illius puellæ, quæ venenis minimè lædebatur, quòd à pueritia sensim assueuerat. Pharmaca, quæ ventrem liquant, vel prorsus non turbare, vel segni-

gniter, si sæpius repetantur. Ac puluerẽ Tabacci naribus inassuetis intrusum, elicere sternutamenta, stomachum mouere, cerebrum tentare, agere vertiginem; continuatum verò ne vellicare quidem. Miram esse vim consuetudinis. Rusticos imbrium, æstus, frigoris iniurijs, & aeris prauitati nullo valetudinis detrimento se exponere: delicatos, ciuiles, & vmbraticos non sine vitæ discrimine subire. Ita & venenum pestiferum, quod ad interitum tam promptè perducit, si accidit, vt vincatur, victorem pauere, non ampliùs lacessere, præterire.

Et hæc quidem vera omnium

nium consensu credita sunt; sed, non tradita causa, curiositas adhuc integra manebat. Mouere magis visi, qui pestilens venenum tandiu humanis corporibus immorari asserebant, quandiu aptam ibi materiam inuenit: Consumptà, ipsum etiam consumi: nec postea, quamuis vndique inspiratum, pugnam redintegrare posse, pabulo destitutum, ac nullo intus hoste aut turbante, aut fouente.

Quamuis interim mensis Ianuarius, ac Februarius innoxij decurrerent, plures tamen medicorum grauius quid verno tempore suspicabantur. Ideo optimum factu visum Pontifici, si tri-
bus

bus tantùm diebus qualibet hebdomata instantis iam quadragesimæ vsus carniũ interdiceretur; illis prȩcipuè gentibus, quæ vim pestis aut paterentur; aut passæ forent: Si conciones, & musici concentus omitterentur; ne malis alimentis, hominumque frequentia, materies, & occasio recrudescendi, latiùsque vagandi daretur pestilentiæ. Sed cùm Martium, & Aprilem mensem nil penitus insalubre turbauisset, Deo grates actæ sunt, sublata nosocomia, medici dimissi, & alij ministri; institium finitum, apertæ publicæ scholæ; Romæ incolumitas edictis promulgata, Populis fi-

finitimis redditum primùm commercium est: mox etiam Picentibus, Vmbris, Sabinis, Hetruscis, Latinis, Campanis; ijs tantùm locis exclusis, quæ non dum benè conualuerant. Et ideo Ferraria, Bononia, Vrbinum, & omnia alia Flamminiæ oppida diutiùs expectarunt, ne si tam citò redirent nobiscum in communionem, à Venetis arcerentur, Florentinis, & alijs conterminis ditionibus; quarum ex commercio non contemnendus quæstus est. Ac denique, ita rebus compositis, Purpurati Ecclesiæ Senatores creati sunt, inter quos Flauius Chisius annũ adhuc agens vigesimum quin-

quintum, sed grauis, prouidus, humilium rerum contemptor, sublimium cupitor, filius Marij, nepos Alexandri; ac statim publicæ salubritati præfectus. Nam mense Maio in pestem lapsæ nonnullæ familiæ, vti ferebatur, ex vsu rerum non purgatarum. Vnde edicta, minæque acriores quàm antea aduersus eos, qui res infectas occulerent. Neque in posterum vllus domi suæ curari poterat, præter patritios, diuites, & eos, qui quadragesimum diem vigilias militum ad ædes substinere possent. Apertumque iterum infectis Consolationis nosocomium est, quò ægri protinus deferebantur,

ad

ad D. Eusebium suspecti, & simul in depuratorium res infectæ.

Quo denuo ciues in mærorem defixi sunt, & rursus vetitum commercium. Tunc etiam innascebantur carbunculi, bubones, atræ peticulæ cum cæteris alijs indirijs pestis funebribus. Sed ægrorum ob raritatem, & intactis plerumque domesticis, quique ægris seruiebant, non pestis ampliùs, sed febres malignæ à pluribus medicorum asserebantur. Negabant alij, manentibus ijsdem pestis effectibus, pestem cedere potuisse: Non mitiùs haberi, non tardiùs rapi eos, qui corriperentur, quàm qui præte-

rito Autumno inficiebantur. Eandem luis vigere feritatem, paucis autem infensam: quia consumptis iam magis obnoxijs, reliqui ægriùs penetrabiles. Vel si quid remissum, non mutatam naturam veneni; sed prope finem non adeo ferocem esse. Hoc genere morbi perijt Franciscus Maria Dux Cære, & Silcij, mitis ingenij vir, ex clara Cæsiorum familia, summorum semper fœta virorum literis illustrium, armis insignium, dignitate eminentium.

Post mortem huius Principis à mense Iulio ad Septembrem vsque, diutina Vrbis valetudine, certus pestilentiæ finis cognitus, edi-

ctisque

ctisque vulgatus est; atque vetitæ prouinciæ vllum nostrorum reijcere. Deoque Seruatori publicè dictus hymnus in Ecclesia Deiparæ Virginis Mariæ ad portam Flaminiam, celebri non tam vetustate, ac religione, quàm Gentis Chisiæ sacello, & nunc Alexandri VII. munere in formam nitidiorem mutata, ac longè splendidiore.

Cæterùm non omnino vacuus curis Pontifex mitissimus, adhuc in aliquibus oppidis Vmbriæ, Sabinæ, Hetruriæ, & Campaniæ turbante contagione: Et ideo non dum à portis Vrbium excubiæ dimissæ, nec Regni Neapolitani li-

mites, viæque incustoditæ. Plurimùm verò nunc etiam cauent à nostris Principes finitimi: sed omnium post cladem acceptam Neapolitani consultissimi: Tanquam denuò vexari possint eæ Gentes, quæ recenter pestem tolerauere. Si enim, cùm hominum multa centena iacebant, ac pestis vis summa erat, pars ciuium mansit incolumis, & laxari cœpit furor ægritudinis, mox desijt omninò; quid mali, si vnus, aut alter, etiam decem recipiantur maculati? Superfluere propterea huius Populi timor, industriæ, vigiliæ ab aliquibus existimabantur. At non illius tantùm, sed earum

quo-

quoque ciuitatum, quæ sub Vrbano VIII. miseram cladem passæ sunt. Esse rebus omnibus vicissitudines, statasque periodos. Neque prospera, neque aduersa sempiterna. Græciam scientiarum olim magistram, illustrium bellatorum matrem, gentiumque dominam, nunc omnium rerum ignaram, imbellem, barbaram, fœdissimam, ac miserabilem pati seruitutem. Et vbi nunc sacrosanctorum Pontificum maiestas adoratur, & antea Cæsares imperauerunt, ac ciuium multitudo immensa, ædificiorumque moles miraculo fuere; paludes, nemora, tuguria ætas antiquior aspexit. Qui-

quæ vltra montes incolunt, & barbari dicebantur à nostris, nunc bonarum artium custodes, rerumque dominatores totam Italiam subiecissent, nisi inuicem sibi essent impedimento (adeo fregit eam quicunque diuisit, & tot regulis auxit) Venient tempora, quibus mores nostri risus materies erunt, Hetrusca hæc lingua, & artes obsolescant; artifices, doctoresque, qui tantopere nunc celebrantur, forsan vilescant, nullo sectatore. Vrbesque pulcherrimæ, atque opulentissimæ, quarum fama ad Antipodas vsque fertur venerabilis, eundem demum casum subibunt, quem Troia, Athe-

Athenæ, Cartago, & tot aliæ Ciuitates splendidissimæ, quæ solo æquatæ arantur, annosarum arborum sedes, ferarumque latibula sunt; & id ipsum, quod priusquã conderentur. Quid plura? Neque Terræ globus constantissimus eandem semper faciem seruat: Internis, arctatisque ventis, flammis, seu fluminibus quandoque concutitur, eliditur, dehiscit, vrbes integras deuorat, ingentes lacus aperit, & vbi iam sitiebat arator, nunc cymbæ discursant, natant pisces, retia panduntur. Neque salum ijsdem semper littoribus terminatur; Pedibus olim itum in Siciliam, quò nunc

naues adducunt , non desunt , qui scribant. Flammis denique maria , Terra, terrestriaque omnia cedent, & aut cinis erunt , aut nihil. Etiam syderibus stare postremus dies creditur : Ac fortasse , qui nobis Comete aliquando suspiciuntur, astra latentia sunt incendium patientia. Sed his omnibus incertum annorũ spatium, & hominibus non explorabile . Pestilentiarum reuersiones, non ante centum annos quidam contingere opinantur , quemadmodum morbillorum, atq; variolarum circa decimum annum accessiones creduntur. Ideoque, quamuis in communionem acceptis in-
qui-

quinatis, incolumes futuras eas omnes gentes, quæ intra centesimum annum pestis rabiem sensere. Cæterùm tam incertis coniecturis ne concipere quidem possum vllum prudentum crediturum suam, aliorumque incolumitatem, & eò minùs eos, quibus nondum deleta calamitatum memoria, & dolor adhuc recens est: Reperti enim, qui præteritis annis Mediolani pestem perpessi, Romæ iterum lapsi, & oppressi sunt: Visique ex nostris nonnulli referuntur, bis eadem ægritudine correpti, neque vno anni tempore interiecto. Casu fortasse factum, vt Roma, Genua, Neapolis post

centum, & plures annos, non priùs in pestem reciderint; Florentia verò, Bononia, Mediolanum, Veneti, Siculi immunes mala nostra spectauerint.

Hæc Vrbis Romę fuit pestilentia, non admodum diuturna, si alijs æquiparetur, quę in quartum annum vsq; prouectę quandoq; memorantur: quia non vltra quindecim menses sæuijt, & prope finem adeo tenuis, vt à Februario ad Iulium ne quadraginta quidem ciues extinxerit; toto autem tempore non vltra sexdecim millia desiderata esse dicuntur. Haud multò maior numerus eorum, qui varijs in oppidis occubuerunt, etsi

etsi triginta circiter fuerint; ex quibus præsertim Beneuentum, Viterbium, Interamna, Reate, Præneste, Mons Phalifcorum, Velitræ, Setia, Marinum, Neptunum, Centumcellæ, Bassianum, Morlupum, Carpinetum, Gualdum, Casperia, Cotanellum, Confiniũ. Sed ex his aliqua non grauiter afflicta, protinus intra domos singulis familijs coactis, vel per agrestes ædiculas, casasque incolis digressis, atque segregatis.

Mense autem Martio, eorum etiam locorum stabili, atque integra valetudine, longo omnium Ordinum comitatu à templo Deiparæ Virginis de Ara Cœli ad al-


terum in Porticu pedestri gradu progressus Sanctissimus Dominus Noster, Deo, & Matri seruatrici grates supplex exoluit. At huius pietatis officium ad certum tempus denunciatum, vt aduenit dies, vniuersam ciuitatem suis ex sedibus excitauit, vt non viæ, non ipsæ sacræ ædes satis caperent ciuium procedentium multitudinem: qui ante aram in genua inclinati, his vocibus mentem aperuisse credi possunt. Euicta tandem, Beatissima Virgo, ira Numinis est, excussumque flagellum, quod in capita nostra stringebatur, non humanis quidem industrijs semper prorsus irritis, non an-

annuente Deo, nec noſtris votis, aut precibus, quæ impuro corde editæ non audiuntur: at te Matre Sanctiſſima, te illibata Virgine deprecante. Cognoſcimus beneficium, ſed cùm par referre non liceat, quas poſſumus gratias agimus; rem quoque, atque vitam, quam tibi acceptam ferimus, pro tui, & Chriſti filij nomine ęquo animo erogaturi.

FINIS.



INDEX.



Cra-

Edi-

 207

Qua-

Ves-




ROMA